

ANALECTA HYMNICA
MEDII AEVI.

IX.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.



Leipzig.
O. R. Reisland.
1890.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.


Zweite Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1890.

Einleitung.

Wenn ich diesem Hefte einige einleitende Worte vorausschicke, obschon dasselbe lediglich eine Fortsetzung des vorhergehenden ist, und obschon ich das zum Verständnis der strophischen Gliederung der Sequenzen Notwendige bereits im Vorworte zum VII. Hefte dieser Sammlung gesagt habe, so geschieht es, um an einem interessanten Beispiele die dort vertretenen Anschauungen zu bestätigen.

Die Handschrift 909 der Bibliothèque Nationale (vgl. deren kurze Beschreibung Anal. hymn. VII, 9) enthält, von gleichzeitiger Hand zugeschrieben, eine versifizierte Legende de sancto Martyrio, deren poetische Form die der Sequenzen ist, und zwar wiederholt sich dasselbe Sequenz-Schema nicht weniger als viermal. Ausdrücklich wird jedesmal der Wiederaufnahme der Melodie Erwähnung gethan. Es läſst sich also an dieser Sequenz wie kaum an einer anderen prüfen, ob die Absätze innerhalb einer und derselben clausula eine bestimmte Stelle haben oder der Willkür unterliegen. Denn es ist undenkbar, daſs sie rein aus Zufall vier- oder richtiger achtmal hintereinander sich decken. Da aber unser Gedicht inhaltlich nicht zur Hymnendichtung zählt, sondern der episch-beschreibenden Legendendichtung angehört, würde es nirgends in diesen Analekten, am wenigsten unter den sämmtlich liturgischen Sequenzen am Platze sein, weshalb es vielleicht nicht unangezeigt ist, demselben hier eine Stelle zu gönnen:

Versus de sancto Martyrio.

Erster Teil.

1. Eja[1]),

2a. Lyricis personet
fidibus harmonia,
consonet citharizando
carmina
subjungens rhythmica.

2b. Modulis dulciter
musicis uranica
incipe concelebrare
cantica,
mortalis vocula.

3a. In quadam regula
exstitit coenobita
in Lycaonia,

3b. Meritis excelsus,
in Christo solidatus,
in fide fervidus,

4a. Castis moribus,
dictus Martyrius,
Spiritalis praeerat
cur sanctus pater meritis.

4b. Hic ad alios
tendebat monachos
Visitandi gratia
visuros caros socios.

5a. Itaque dum pergens
iter coeptum teneret,
leprosum quendam virum
in via forte conspicit,

5b. Ulcerum quem densis
circumdatum maculis
nimis elephantina
foedarant[2]) totum vulnera.

6. Pergere volentem
ad cubile proprium,
sed nihil praevalentem,
gravatus lassitudine
nam solo
jacebat tramite.

Zweiter Teil.

1. Eja,

2a. Sacra cantilena,
semel decantata[3]),
deprome, quid Martyrius
egerit
et pauper dixerit.

2b. Hospitium namque
se dicebat habere
eodem in itinere,
quo frater
volebat tendere.

3a. Nam frater patriam
tendebat ad supernam
virtute praevia,

3b. Qua Deus et homo
jugiter Christus regnat
et semper habitat.

4a. Vir autem Dei
commotus animo
Debilisque nimiam
miserans lassitudinem

4b. Vestem humilem
a se projiciens
Tetendit in pulverem,
locavit in qua pauperem.

---

[1]) Dies erste Eja fehlt in der Hs. und ist hier ergänzt nach Analogie der übrigen Teile. — [2]) foedarat Hs. — [3]) eja semel Hs.

5a. Qua strinxit miserum
humerisque propriis
posuit atque secum
rediens inde detulit.

5b. Cumque jam foribus
proximus ecclesiae
celeraret[4]) tam sancto
cum fascis sanctus honore:

6. Currite, currite,
inquit abbas, et cito
januas reserate,
quoniam en Martyrius
omnium
deportans Dominum.

Dritter Teil.

1. Eja.

2a. Sacra cantilena,
in te bis reducta,
deprome salutiferi
divina
languidis cantica.

2b. Nam frater ut vellet
januam subintrare,
leprosus qui putabatur,
ipsius
de collo exsilit.

3a. Graviorem reddens,
cum desereret[5]), fratrem
quam collo residens.

3b. Majestas o celsa,
deitas o miranda,
virtus propitia!

4a. Qui in specie
apparens protinus,
Qua redemptor saeculi
videbitur Deus-homo,

4b. Ipso sidera
cernente[6]) penetrat
Talibusque vocibus
ostendens fratrum munera:

5a. Martyri, Martyri,
tu meam penuriam
nihil erubuisti
in terris tecum positam;

5b. Ego te coelicos
super thronos residens,
frater, non erubescam
ad patris mecum dexteram.

6. Vir quoque, Dominum
qui deportarat[7]), januas
mox ut fuit ingressus,
pater ei coenobii
ipsius
exstitit obvius.

---

[4]) celelaret Hs. — [5]) dereret Hs. — [6]) cercente Hs. — [7]) deportaverat.

Vierter Teil.

1. Eja,

2a. Sacra cantilena,
ter[8]) reciprocata,
deprome nunc veridicis
modulis,
quid senex dixerit.

2b. Martyri, dic frater
ubi est, quem[9]) ferebas?
ad quem tunc vir sanctissimus
inquiens
respondit talibus:

3a. Hunc ego si scissem,
per pedes tenuissem
nec ita sinerem.

3b. O sancte Martyri,
Christi qui meruisti
bajulus fieri,

4a. Cur quaeris pedes
illius[10]) tangere,
Quem totum paulo ante
tulisti clausum clamyde?

4b. Nobis, petimus,
hoc ipse reposce,
Qui Deum offendimus
quotidiano scelere,

5a. Possimus ut pedes
illius attingere[11])
ipsius atque fore
perenni membra foedere.

5b. Te, Christe, poscimus
lacrimosis fletibus,
nos coeli gloriosis
adjunge piis coetibus.

6. Ut tibi patri . . .

Hier bricht die Handschrift ab, und das Weitere fehlt. Augenscheinlich beträgt aber dieser fehlende Rest nicht mehr als die Schlufsstrophe 6, da schon in Strophe 4b. der abschliefsende Gedanke eingeleitet ist. Bei den verschwindend wenigen Änderungen, die am überlieferten Texte notwendig waren, dürfte durch diese Sequenz von neuem der Beweis erbracht sein, dafs in wohlbesorgten Prosen die Pausen im Innern der clausulae bestimmte Stellen haben. Sequenzen, die dies Gesetz durchbrechen, sind daher als verwilderte zu betrachten. Vgl. Mone I. S. 235.

Lyon, den 14. März 1890.

Guido Maria Dreves.

[8]) tertio Hs. — [9]) est fehlt Hs. — [10]) illius pedes Hs. — [11]) adtangere H.

I.

DE TEMPORE.

1. De ss. Trinitate.

1a. Gloria tibi, trinitas,
Cujus larga nos bonitas
Illustravit gratia;

1b. Tibi laus, decus, potestas,
Te majestatis honestas
Decet et victoria.

2a. Tu ergo, factor omnium,
Coelorum, terrae, marium,
Vera sapientia;

2b. Tu Deus admirabilis
Ac incomprehensibilis
Comprehendis omnia.

3a. Tu virtus, magnanimitas,
Mansuetudo, humilitas
Tuque patientia;

3b. Tu fortis, justus et pius,
Mitis, clemens, propitius,
Tu misericordia.

4a. Tu lux lucem illuminans,
Noctem, diem conterminans
Signa per disparia;

4b. Tu qui tempora momenta
Mutas, per te elementa
Se sunt complectentia.

5a. Tu vita, via, veritas,
Omnipotens tu caritas,
Fides, spes et gratia;

5b. Tu turris fortitudinis,
Unica spes solaminis
Nobis in miseria.

6a. Fons ergo tu bonitatis,
Vultu cerne pietatis
Vota te quaerentia;

6b. Da veniam pro peccatis,
Solve nostrae vetustatis
Juga nos prementia.

7. O veneranda trinitas,
O adoranda unitas,
O vera clementia.

Miss. ms. S. Blasii saec. 12. Cod. Palat. Vindob. 1909. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 417. B. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. C. — 1b, 3 Decus et A. — 2b, 2 Atque incomprehensibilis ABC. — 3a und 3b verstellt C. — 4b, 2 Mutans C. — 4b, 3 Se sibi A.

2. De ss. Trinitate.

1. Paraclitus increatus,
Neque factus neque natus,

2a. Patri consors genitoque,
Sic procedens ab utroque,

2b. Ne sit minor potestate
Vel discretus qualitate.

3a. Pater alter, sed gignendo,
Natus alter, sed nascendo,

3b. Flamen ab his procedendo
Tres sunt, unum subsistendo.

4a. Quisque trium plenus Deus,
Non tres tamen Dii sed unus,

4b. Nam vera fides veneratur
Tres, sed unum confitetur,

5a. Dans usiae unitatem
Et personis trinitatem.

5b. In personis nulla prior,
Nulla major, nulla minor.

6a. Unaquaeque semper ipsa,
Sic est constans atque fixa,

6b. Ut nec in se varietur
Nec in ullam transmutetur.

7a. Tu solamen in labore,
Medicamen in languore,

7b. Tu in arto liberator
Et in lapsu relevator.

8a. Da fidem, spem, caritatem,
Da discretam pietatem,

8b. Da contemptum terrenorum,
Appetitum supernorum.

Cod. Admontensis 739 saec. 12. add. 13. Mit Neumen. A. — Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360 Cod. Capit. Pragens. s. sign. Mit Mel. B. — Miss. ms. S. Coronae anni 1498 Cod. Pragens. XII C VI. C. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 50. saec. 15. D. — Miss. ms. Kremsense saec. 15. Cod. Pragens. XII B 13. E. — Miss. ms. Pragense I D 3 saec. 15. F. — 4b, 1 fides vera C. — 5a, 2 In personis B-F. — 7a, 1 Tu ergo überzählig A-F. — 7b, 1 in alto A.

3. De ss. Trinitate.

1. O beata, veneranda
trinitas
felix, corde devoto
et adoranda
unitas.

2a. Trinum
in personis Deum,
unum in substantia,

2b. Patrem,
verbum, spiritum sanctum,
gaude, omnis anima.

3a. Haec enim divinitatis
summa est felicitas,

3b. In amplexu caritatis
quod tres unit unitas

4a. Amat pater
amatque natus,
amat spiritus sanctus.

4b. Neque minor
ipse amatus
est ipsis amantibus.

5a. Quid tam dulce, tam jucundum,
quae tanta devotio,
Quam amantis et amati
et amoris unio.

5b. Omnis gaude creatura,
haec trium dilectio
Te creavit, recreavit
dato Dei filio.

6a. En ex quanta et ad quantam
caritatem conditi

6b. In peccatis conversamur,
sed non sumus perditi.

7a. Nos amore suo unit
haec felix unio,

7b. Hoc amore satiari
verbi principio.

Miss. ms. S. Floriani XI 385. saec. 15. Zum Feste der Verklärung, zu dem der Inhalt keine Beziehung hat. — 1, 3 devota. — 3b, 1 In amplexum. — 4b, 1 Nec minor. — 4b, 2 amotis. — 4b, 3 est fehlt. — 5a, 1 tanta est. — 5a, 3 et amanti. — 5b, 2 dilectionem.

4. De ss. Trinitate.

1a. Pater, proles, sacrum flamen,
Nostrae laudis sit juvamen,
Finis et initium;

1b. Qui sanctorum sunt solamen,
Vita, splendor, pax, oramen,
Mores et stipendium.

2a. Hi sunt pares potestate,
Pares in aeternitate,
Uniformes unitate,
Gubernantes omnia.

2b. Pari gaudent bonitate,
Pari pollent dignitate,
Pari lucent claritate,
Pares sunt in gloria.

3a. Patrem nullus procreavit,
Natum pater generavit,
Sed ab his amor spiravit
Et spirat aequaliter.

3b. Amor natum humanavit,
Per quem pater reparavit
Hominem, quem sauciavit
Ligni morsus graviter.

4a. Hos distinctos in personis
Sed in esse et in donis
Idem esse credimus.

4b. Tu nos, Deus, coeli bonis
Et beatorum coronis
Frui fac, exposcimus.

Cod. Parisiens. 1343 saec. 14. — Mit Mel. Vgl. die Bemerkung Anal. hymn. VIII, p. 11.

5. In Nativitate DN.

1a. Omnes gentes, plaudite manibus,
Deus enim datur hominibus,
Natum Mariae pulsate precibus,
Ut nos solvat a mundi nexibus.

1b. Per hanc matrem venit laetitia,
Qua deletur Evae tristitia,
Osculatur pacem justitia,
Terra dedit promissa gaudia.

2a. Nutu patris
Vis amoris
Hortum matris
Inflammavit;

2b. Tellus rorem,
Stella solem,
Virga florem
Germinavit.

3a. Virgo virga designatur,
Mundus florem admiratur,
Per quem Christus figuratur,

3b. Hac in valle tenebrarum
Pater, salus animarum,
Distributor gratiarum.

4a. Fons signatus, porta clausa,
Patet sine viri causa,
Admiratur hoc natura.

4b. Talis namque genitura
Decet Deum, parit pura,
Creatorem creatura.

5a. Hic in sole collocavit
suum tabernaculum.
Visitavit ambulantem
lux in nocte populum.

5b. Consolati visa luce
cognoverunt Dominum,
Quem venturum exspectabant
redemptorem omnium.

6a. Virgo munda, virgo pia,
Templum Dei, coeli via,
Dona nobis caritatem
Et cum sanctis unitatem.

6b. Decaecatum praesta visum,
Redde nobis paradisum,
Ubi finis est laborum,
Plenitudo gaudiorum.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360 Cod. Capit. Pragens. s. sign.

6. In Nativitate DN.

1. Adest nunc gloriosa
solemnitas
atque praeclara,

2a. Qua pater in coelis
supera regens
agmina

2b. Filium in terras
propter salutem
humanam

3a. Misit, ut sumeret
servilem
atque mortalem formam,

3b. Ut sub lege manens
donaret
mundo coelorum gaudia.

4a. Angelico nuntio
gravidantur
Mariae viscera,

4b. Pavens ac perterrita
nunquam nosse
se virum dixerat.

5a. Ad haec nuntius
illico protulit talia:
Gaude, Maria, sancti
spiritus altithrona
mox superveniet gratia

5b. Et virtute Dei
repleberis altissima.
Tu sola placuisti
mulier altissimo,
stirps et origo Davidica.

6a. Magnificat Dominum,
postquam fuerat his
verbis angeli monita.

6b. Navitas Christi
pastoribus voce
nuntiatur angelica.

7a. Sit Deo laus et gloria
in excelsis,
sit salus et pax in terris,
gaudeat coelum,
cuncta resultent agmina.

7b. Coelestis axis Dominum
multitudo
glorificat et conlaudat
supera demum
remeantes ad sidera.

8a. Deus homo factus
hodie natus est ex
virgine sancta Maria.

8b. Hunc laudet cuncta per
orbem plebs, cui tanta
famulantur obsequia.

9a. Sit Deo
laus atque potestas,

9b. Cum patre
qui cuncta gubernat

10. Et cum spiritu sancto
in aeterna saecula.

Trop. ms. Aeduense saec. 11. Cod. Parisiens. (Arsen.) 1169. A. — Miss. ms. S. Stephani Divionens. saec. 15. Cod. Parisiens. 879. B. — 2a, 2 supra B. — 5a, 4 spiritus altissimo A. — 5b, 2 altissimo A. — Str. 7b steht unrichtig vor 7a. A. — 7b, 1 ac sic A. — 7b, 3 glorificant et conlaudant A. — 7b, 4 superant A. — 7b, 5 remeantem B. — 8a, 1 homo perfectus A. — Str. 8b fehlt B. — 9a, 2 potestas egregia AB.

7. In Nativitate Domini.

1a. Verbum, aeternaliter
unigenitum,
infinibile principium,

1b. Patris lingua, calamus,
sapientia,
virtus, ratio perpetua,

2a. Vigor
lucis, aevum temporis,
mundi
mobilis rex stabilis,

2b. Panis,
quo gregis angelici
vivunt
cives theologici,

4a. Ut dragmam requireret
decimam,
Lucernam accendit,
tabernaculum
in sole posuit,
prodiit,
quo flamma sui caloris
testa duresceret
hominis.

4b. Ut ovem redimeret
perditam,
Pastor bonus fit agnus,
ovis virginis,
ros absque macula
velleris,
quo primae nos bysso stolae
ut sponsam revestiat
gloriae.

5a. Se nobis pabulum
parvulis, potum,
lac, butyrum praebens et
solidum cibum.

5b. In favo est mel
hominis-verbi
in manna Emmanuel
Israel veri.

6a. Gustent Adae filii
hunc suavem
adipem tritici,
benedictum seminis
Abrahae granum.

6b. Virus vomant colubri,
desiderent
fontem vivum cervi
serpentis antidoto
aenei hausto.

7a. O magni
consilii angelus,
o pax, o veritas,
ad gemmam in caeno venis
e coelo.

7b. Rex pie,
nos dirige in arta,
qua cursitas, via,
gigas, vita, flos de virga
Maria.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. saec. 11. add. saec. 12. — 4b, 3 u. 8 eine Silbe mehr als die Gegenzeile.

8. In Nativitate DN.

1a. Infans verbum incarnatum,
Intra carnem breviatum,
Cordis chordam oris fatum
Tangit laudis jubilo.

1b. Expers paris en dat prolem,
Stella maris profert solem,
Virginalis lux splendorem
Tegit carnis nubilo.

2a. Signum rarum, grande mirum,
Virgo gnarum ambit virum,
Cum praeclarum claudit gyrum
Finis et principii.

2b. Virgo parens pandit typum,
Virga arens profert ritum,
Rore carens dum dat situm
Prodeunti germini.

3a. Solem gradus denus flectit,
Dum humatus genus nectit
Secum Deus ac compectit
Hymnum et eximium.

3b. Madet vellus coeli rore,
Aret tellus miro more,
Tumet alvus nova prole,
Gaudet virgo virginum.

4a. Alimentum clausis seris
Intrat lacum Danielis,
Cum ad fatum Gabrielis
Verbum virgo concipit.

4b. Rubus ardet sed non cedit,
Fornax fervet sed non ledit,
Virgo paret et non perit
Puritas sed proficit.

5a. In figura haec praejacta
In Maria clarent acta
Sicque prima surgunt pacta
Quondam rupti foederis.

5b. Altitudo inclinatur,
Pax captiva nuntiatur,
Fortitudo nam ligatur
Vi puellae teneris.

a. Alma virgo, ergo natum
Tuo jugo fac substratum,
Reo nudo fac placatum
Precis tuae munere.

6b. Manna divum, quod cibasti,
Fontem vivum, quem lactasti,
Dulcem rivum, quem gustasti
Larga manu tribue.

7a. Eja, portus salutaris,
Solis ortus, lux stellaris,
Duc per fluctus saevi maris
Nutantem naviculam.

7b. Naufraganti sis tutamen,
Laboranti sis levamen,
Exeunti sis juvamen
Pergendi ad patriam

Grad. ms. Graecense 36. saec. 14. — 1b, 4 jubilo — 2a, 3 virum — 3b, 1 Mater vellus.

9. In Epiphania DN.

1. Psalle,

1a. Turba canora
fratrum, nunc dulcia
cantica

2b. Melodemata
Dominoque juga
rhythmica.

3a. Qui se natum patria
Bethlehemitica
declarat nova per sidera

3b. Ac hodie mystica
magorum munera
fecit esse sibi congrua.

4a. Gaude, Bethlehem,
urbes inter electa,
quae monstrans
regis crepundia.

4b. Hic Emmanuel,
hic Jesus, vita nostra,
salvabit
propria agmina.

5a. Quid, Herodes, tenera
puerorum corpora
mente mactas rabida?
quos perimis,
meliora tenent saecula.

5b. Non per tua tempora
fient vota pessima,
sed proles aequivoca
praeconata
videbit crucis mysteria.

6a. Judaea plebs indurata,
perpetuo vulnerata,
lacrimis dele jam
patrata
toties scelera.

6b. Saxa crepant tremefacta,
scinduntur vela divisa,
Herode quaesita
tu paras
Domino funera.

7a. Da miseris praemia
indulgens debita,
qui mundi geris delicta,
carne satus viginea.

7b. Salvifica corpora
ac mentes ad astra
porta, quo manent gaudia
sine fine manentia.

Trop. ms. Niverneuse saec. 11. Cod. Parisiens. 9449. A. — Antiph. et Grad. Niverneuse saec. 12. Cod Parisiens. Nouv. acq. 1235. B. — 2a, 2 dulcia nunc AB. — 2b, 2 juuga A. — 3b, 2 magnorum A. — 5a, 3 rabidas A. — 5b, 3 perdes aequivoca A. — 6a, 5 scelere B. — 7b, 2 atque mentes AB.

10. De Epiphania DN.

1a. Dies nobis laetabundus
Luce clarus et jucundus
Plenusque laetitia,

1b. In qua Deus demonstrare
Voluit et declarare
Sua beneficia.

2a. Primum dies admiratur
Praesens atque conspicatur
Domini miraculum,

2b. Aqua Christum baptizavit
Et in vinum se mutavit
Per Mariae filium.

3a. Hic in flumine Jordane
Sancto praevio Johanne
Baptizatur hodie;

3b. Pater misit super eum
Praedilectum vocans eum
In columbae specie.

4a. Magi Dominum venerunt
Adorare, attulerunt
Christo dona mystica:

4b. Aurum regi, thura Deo
Offeruntque coram eo
Homini mortalia.

5a. Sancte spiritus benigne,
Summe pater, fili digne
Manens in coelestibus.

5b. Omnes velis te clamantes
Et hunc diem venerantes
Solvere criminibus.

Miss. ms. Attilense anni 1454. Clm. Monacens. 3311. A. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacens. 7815. B. — 3b, 2 l: Paracletum?

11. In Epiphania Domini.

1a. Regi regum omniscio
Haec grutuletur concio
Mera clangens harmonia
Hac in die.

1b. Digno sudans conamine
Utroque psallat homine,
Celebria sint gaudia
Hac in die.

2a. Novum nova
jubar stella praedicat,
Magis tribus indicat
Cunas usque praevia
Hac in die.

2b. Reges regem
trini trinum quaeritant,
Donis tribus visitant
Tria per mysteria
Hac in die.

3a. Quos polluit, qui corruit,
Leviathae fallacia,
Hos abluit ac induit
Christus baptismi gratia
Hac in die.

3b. Quem famine non semine
Sua concepit filia,
In flumine nos crimine
Lavet ignorans vitia
Hac in die.

4a. Nullum ptolemaica,
Nullum turbet unitas,
Emicat uranica
Mundo plene trinitas
Plena cum laetitia
Hac in die.

4b. Voce sua promitur
Genitor ac genitus,
Alite innuitur
Utriusque spiritus,
Cedant certis dubia
Hac in die.

5a. Aqua mutans originem
Vitis sapit propaginem
Ac Heloi non nescia
Lyaeum fudit hydria
Hac in die.

5b. Hic Deus, Dei filius,
Quem stella, magi, fluvius,
Quem manifestat hydria,
Nos jugi donet gratia
Hac in die.

Clm. Monacens. 3525. saec. 12. — 1a, 2 gratulet. — 5a, 3 acheloi. — 5b, 5 fehlt.

12. In Octava Epiphaniae.

1. Laus tibi, Christe,
sponso sponsae, laus in te
trinitati sanctae.

2a. Quia mundi sator,
salus es et reparator,

2b. Rebus dans singulis
tuae umbram imaginis.

3a. Vi rationis
cor signans
angeli et hominis,

3b. Ejus crystallum
induraus,
hujus testam solidans.

4a. Tu fons benigne,
finis aeterne,
origo rerum, clausula
operum,

4b. Corde parentis
unicus natus
es fratres habere nos
dignatus;

5a. Ut consors naturae
humanae
des homini
divina sapere,

5b. Et lucis particeps
divinae
cor hominis
non laedant tenebrae.

6a. Quam pater tecum, per te
in pneumate
voluit, fecit,
fovit machinam,
creatae, formatae
distinguis, pingis
speciem variam.

6b. Tibi conjungens corpus
ecclesiae,
palmites viti,
membra capiti,
sordentem, marcentem
tu fide mundas
spiritum, vegetas.

7a. Hanc, flos stirpis Jesse,
unctus oleo
ungis laetitiae

7b Septeno chrismate,
quod in Jordane
columba intulit.

8a. Cujus timoris
vox super aquas,
ut mentes terreat
fluctivagas.

8b. Vox in virtute
est pietatis
moralis regula
gravitatis.

9a. Scientiae
sacrae dogma
vox est
in magnificentia.

9b. Vox Domini
fortitudo,
cedros
confringit in Libano.

10a. Vox scindit consilii
flammas incendii,
voce intellectus
movet Cades
desertum Dominus.

10b. Vox de sapientia
cervis dat pascua;
his, quibus descendit,
Deus-homo
ascendit gradibus.

11a. Pax mundicordis,
Christe, miserator
noster, egens,
lugens, mitis, pauper.

11b. Tu mali temptantis
dimitte debita,
tu panis da
velle regnum patris.

12a. Te solem de stella ortum
in thure, auro, myrrha
monstrat stella gentium
dominum,
regem mortalium.

12b. In vinum converte aquam
et legem in gratiam,
pro figura veritas,
pro jugo
tu haereditas.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13314. saec. 11. — Melodie: Psallite. — 3a, 3 angeli, hominis. – 6b, 1 ursprünglich Tibi corpus aptans, in der Hs. selbst korrigiert wie oben. — 7a, 1 stirps Jesse. — 11b, 2 korrigiert in solve debita. — 11b, 3 panis fac nos, korrigiert.

13. De sanctissimo Salvatore.

1a. Enti simplicissimo
Corde devotissimo
Referamus grates

1b. Immensas quotidie,
Quod dat locum veniae
Et suos sequaces

2a. Solatur miraculis,
Quibus a piaculis
Rei emundantur,

2b. Credunt et schismatici,
Quibus arreptitii
Penitus sanantur.

3a. Ex Christi imagine,
Fixa a propagine
Hebraeorum, manat

3b. Liquor suavissimus,
Aegrotis meditivus,
Nam plerosque sanat.

4a. Primo paraliticum
Et caecum, post omnium
Imbecillitati

4b. Medetur salubriter,
Omnes unanimiter
Reddens sospitati.

5a. Animae et corporis
Turba multitudinis
Ad Archimandritam

5b. Nempe currit subito,
Ut lavetur baptismo
Atque bonam vitam

6a. Promittit proficere,
Semper Christo credere;
Omnibus sed lotis

6b. Eorum synagoga
Statim fit ecclesia
Ob honorem dotis

7a. Jesu Christi Domini,
Salvatoris optimi;
Hunc dovoto corde

7b. Rogemus attentius,
Ut delicti eminus
Nos trahat a sorde.

8a. O salvator omnium,
Salva cunctum populum,
Nobis quoque dona

8b. Sanitatum copiam,
Rerum abundantiam,
Coeli nobis dona.

Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. – 3b, 2 Aegris meditivus Hs.

14. De divina Sapientia.

1a. Veni sapientia,
Gratiarum gratia,
Amor amans omnia,

1b. Doce nos te noscere,
Trinum Deum credere
Et vere diligere.

2a. Consolatrix hagia,
Reos nos concilia
Errantes per devia,

2b. Nos fove, nos visita,
Nos rege et excita,
Salva tua plasmata.

3a. O lux beatissima,
Luce nos clarissima
Reple et illumina,

3b. Cujus influentia
Vivunt, vigent omnia,
Coelica, terrestria.

4a. Lava nostra vitia,
Relaxa flagitia,
Solve vincla noxia,

4b. Flecte nos ad veniam,
Praebe indulgentiam
Renovans per gratiam.

5a. Da ad te clamantibus
Et in te credentibus
Locum in coelestibus,

5b. Dei sapientia,
Nobis sis propitia
Dans aeterna gaudia.

Orat. ms. Scotorum Vindobonens. 54 h 8 saec. 15. — Aus einer Votivmesse „de sancta sapientia". Mel. offenbar = Veni sancte Spiritus. — 1a, 1 Veni sponsa, verschrieben oder lückenhaft. — 3b, 3 Coelestia.

15. De ss. Nomine Jesu.

1a. Nomen jure sublimatum,
In excelsis adoratum,
Nomen summae gloriae,

1b. Gabrieli revelatum
Et in terris nuntiatum
Genitrici gratiae.

2a. Haec octavo die natum,
Circumcisum more patrum,
Salvatorem nominat,

2b. Universo publicatum
Mundo nomen hoc beatum
Credentes salvificat.

3a. In hoc lucet trinitatis
Splendor atque unitatis,
Hoc coelum laetificat;

3b. In hoc fulget honor patris,
In hoc patet decor matris,
Hoc fratres glorificat.

4a. Hoc est nomen salutare
Et solamen singulare,
Quod succurrit tristibus;

4b. Hoc nos decet honorare,
Benedicere, laudare
Semper laetis mentibus.

5a. Hoc est melos praedicatum,
Dulce mel est in vocatum,
Servat ab insultibus;

5b. Jubilus est cogitatum,
Nomen mire formidatum
Malignis spiritibus.

6a. Ecce nomen gratiosum,
Fructuosum, virtuosum
Prae cunctis nominibus,

6b. Vultum Dei gloriosum,
Speciosum, amorosum
Ostendit hominibus.

7a. Nomen pulchrum in decore,
Summe bonum in valore,
Intus sapit dulciter;

7b. Summe potens in vigore,
Summe celsum in honore,
Delectat feliciter.

8a. Ergo pastor animarum,
Bone Jesu, et carum
Lumen indeficiens,

8b. Propter nomen tuum carum
Tactrum chaos tenebrarum
Obstrue nos muniens.

9a. O reformator cunctarum
Nationum humanarum,
Vita mortem auferens,

9b. Restaurator ruinarum,
Virtutum angelicarum
Teipsum sis largiens.

Grad. ms. Margarethae Scheiffart de Merode saec. 15. Cod. Musaei Hungarici 259. A. — Grad. ms. Carmelit. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Mazarin. 465. (1388 C). B. — Mel. = Laudes crucis. — 1a, 1 vere sublimatum B. — 6b, 1 Multum Dei B.

16. De Transfiguratione DN.

1a. Adest dies celebris,
Quo lux luxit tenebris
Christus in monticulo:

1b. Thabor, Hermon gaudeat,
Dominum suscipiat
Verae pacis osculo.

2a. Hic est lumen luminis,
Menti lucens hominis
Intus sua gratia,

2b. In qua istud radiat,
Tenebras mens nesciat
Cuncta pellens vitia.

3a. O lux serenissima,
Christe, salus optima,
Nostris fulge sensibus,

3b. Quidquid exstat horridum,
Menti nostrae noxium
Nostris aufer cordibus.

4a. Te praesente stabiles,
Te absente debiles
Sumus et in omnibus;

4b. Ergo manum porrige,
Mala nostra corrige
Illustrans virtutibus.

5a. Ut post hanc miseriam
Ducas nos ad patriam
Mansuram perenniter,

5b. In qua tibi filio,
Patrique paraclito
Decantemus jugiter.

Miss. Cracoviense imp. Nurembergae. 1492. Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

17. De Transfiguratione DN.

1a. O beata orbe toto
Veneranda trinitas,
O felix corde devoto
Adoranda unitas.

1b. Trinum in personis Deum,
Unum in substantia,
Patrem, verbum, spiritum,
Gaude, omnis anima.

2a. Haec enim divinitatis
Summa est felicitas,
In amplexu caritatis
Quod tres unit unitas.

2b. Amat pater, amat natus,
Amat sanctus spiritus,
Nec minor amor amatis
Nec ipsis amantibus.

3a. Quid tam dulce, tam jucundum,
Quae tanta devotio,
Quam amantis et amati
Et amoris unio.

3b. Omnis gaude creatura,
Haec trium dilectio
Te creavit, recreavit
Dato Dei filio.

4a. Heu ex quanta et ad quantam
Caritatem conditi
In peccatis conversamur,
Sed, ne simus proditi,

4b. Nos amori tuo uni,
Et haec felix unio
Det amore satiari
Verbi in principio.

Miss. ms. Olomucense anni 1330. Cod. bibl. publ. III. 1. 11. A. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Clm. Monacens. 11046. B. — Miss. ms. Salisburgense saec. 14/15. Clm. Monacens. 15719. C. — Mel. vermutlich: O beata beatorum. — 1b, 1 Trinum fehlt B. — 1b, 3 verbum spiritum sanctum ABC.

18. In festo Transfigurationis.

1a. Eja modo jubilemus,
Laudes Deo decantemus,
Dies est laetitiae,

1b. Christus, natus summi patris
Et Mariae piae matris,
Transformatur hodie.

2a. Vultus ejus alteratur,
Ut sol splendens illustratur
Et vestitur candidis;

2b. In quo lucet Patris forma
Et divinitatis norma
Omnibus spectabilis.

3a. Vates magni adducuntur,
Tamquam testes assumuntur
Christi regis gloriae,

3b. Manifeste demonstratur,
Voce Patris declaratur
Principibus curiae.

4a. Hic est, inquit, meus natus,
Pro salute vobis datus,
Quo mihi complacui,

4b. Nutu cujus acquiescent
Coelum, terra, quae non cessent
Parere auditui.

5a. Coeli cives tremuerunt,
Voce hac se prostraverunt,
Cedunt lucis radio,

5b. Mox erexit procumbentes
Et evexit contrementes
Refovens alloquio.

6a. Hi dum visum levaverunt,
Jesum solum spectaverunt
Claritate praeditum;

6b. Peroptabant toto nisu,
Quod perceperant in visu,
Trahere in habitum.

7a. Petrus cupit frui bono,
Gratulatur tali dono,
Quod est sine macula;

7b. Bonum, inquit, est hic esse,
Faciamus indefesse
Tria tabernacula.

8a. Cor in bonum traxit totum,
Christus postquam fecit notum,
Quis sit status patriae;

8b. Quia corpus reformabit
Et in se configurabit
Hanc massam miseriae.

9a. Christe, dona finem bonum,
Quod est super omne donum,
In coelesti patria,

9b. Ut ex toto transformemur
Et in aevum gloriemur
In aeterna gloria.

Grad. ms. S. Agathae in terra Cuijk s. sign. anni 1512. — Mel.: Profitentes unitatem bez. Laudes crucis.

19. De corona spinea.

1a. Diadema laude plena
Nunc adora, nunc honora
Jesu Christi spineum,

1b. Mens devota, ejus lota
Cum cruore ex amore
Fuso tis in pretium.

2a. Cerne verbum incarnatum,
Tibi natum, tibi datum,
Pro te passum, immolatum,
Ne putrescas scelere.

2b. Pressor nimis cum emungit
Spina sacrum caput pungit,
Sua membra nos perungit
Cruor fluens propere.

3a. Sic adjutus, sic solutus
Noli nimis esse tutus,
Certa forte sic imbutus
Virili certamine;

3b. Age grates majestati,
Redde vices caritati,
Memor esto tanti dati
Nec unquam obliviscere.

4a. Salve crux, clavi, flagella,
Spongia, lancea, spina,
Vela, chlamys et columna
Armis et cum reliquis;

4b. Arma tua nunc adoro,
Christe Deus, et hoc oro,
Ut in domo et in foro
His defendas clipeis.

Grad. ms. Borkense A 9 saec. 15. — 4b, 4 defendat Hs.

20. De Sudario DX.

1a. Ave, Christi sudarium,
Verae mortis indicium,
Nostrum adauge gaudium,
Mentis tolle fastidium.

1b. Tu es, sanctum sudarium,
Jesu Christi sacrarium,
Suae mortis praesagium,
Te reliquit rex gentium.

2a. Omnes, qui huc adveniunt
Et te videre cupiunt,
Signum mortis prospiciunt,
Quo fontem vitae sitiunt.

2b. Tu thesaurus angelicus,
Te custodivit angelus,
Te monstravit mulieribus
Ad monumentum flentibus.

3a. O pretiosum linteum,
Corpus tegens virgineum,
Decorasti marmoreum
Summi regis mausoleum.

3b. Jesu Christe, rex omnium,
Qui hoc sacrasti pallium,
Nostrum absterge vitium
Et da perenne gaudium.

Miss. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Berolinens. Ham. 442.

21. De Hasta DX.

1a. Veneremur hodie
Hastam regis gloriae
Nimis virtuosam,

1b. Lanceam terribilem
Et nobis amabilem,
Nimis pretiosam,

2a. Clavos quoque ferreos,
Fixos est sanguineos,
Quos mundus expavit;

2b. Sancta Christi passio
Nostra est redemptio,
Limbus exsultavit.

3a. O beata lancea,
Quam Christi praesentia
Tam pio cruore

3b. Cum guttis sanguineis
Victis tot opprobriis
Sacrat in honore.

4a. Dei clavos aureos
Simul et sanguineos
Omnes adoremus;

4b. Super hos in manibus
Et in sacris pedibus
Simul deploremus.

5a. Haec pro nostra gloria
Dei sapientia
Voluit portare,

5b. Ut mundum despicere.
Deo grates agere
Discamus, amare.

6a. Sic post hanc miseriam
Ad coelestem patriam
Per sanctam victoriam
Palmam deferemus,

6b. Ut tunc Christi stigmata
Cum clavis et lancea
In aeterna gloria
Semper honoremus.

Miss. ms. Salisburgense saec. 14/15. Clm. Monacens. 15719.

22. De Sindone DN.

1a. Plaude, coeli hierarchia,
Nova sonet harmonia
Novo ducta cantico:

1b. Huic concordans in hac via
Laudes promat ecclesia
Linteo dominico.

2a. Joseph fratres devestitum
Vendunt, mittunt in Aegyptum
Pro somnii crimine;

2b. Luget Jacob devoratum
Cernens Joseph vestimentum
Tinctum hoedi sanguine.

3a. In Eliae pallio
Et Samsonis spolio
Sindon praemonstratur;

3b. Byssi stola cingitur,
Christus lino tegitur,
Sepulchro locatur.

4a. Exit cibus de edente,
Favus mellis de jacente
Et dulcedo de forti;

4b. Raab sub lino abscondit,
Quem virgo pannis involvit,
Christum tradendum morti.

5a. Tegunt patrem Sem et Japhet,
Quem Cham ridet, dum sic jacet,
Nudat Noe racemus;

5b. Veste nudum crucifigunt
Judaei, quem sepeliunt
Joseph et Nicodemus.

6a. Sindon, per quam gaudia
Felix jam ecclesia
Sumens exaltatur,

6b. Montem nubes operit.
Deum sindon contegit,
Homo sublimatur.

7a. Aurum latet occultatum,
Sidus jacet obumbratum,
Granum tegit palea;

7b. Radix Christus dum marcescit,
Ramus homo tunc virescit
Salva Dei idea.

8a. Gaude, felix Sabaudia,
Gaude, tota ecclesia,
Novae laudis gloria;

8b. Artus fracti solidantur,
Aegri currunt et curantur
Virtutum frequentia.

9a. Rea, pete suffragia,
Clama, voca auxilia,
Plebs egena.

9b. Deo laudes pro lintheo
Christi demus vestigio
Voce plena.

10a. Tua morte suscitatos,
Bone Jesu, et redemptos
Prece semper credula

10b. Apud curam Dei patris
Cum precibus tuae matris
Commenda per saecula.

Officium et missa s. Sindonis, sudarium Christi vulgariter nuncupatae, per sacrae theologiae professorem Fratrem ordinis praedicatorum, illustris-

simi principis Caroli secundi, ducis Sabaudiae noni, confessorem editum Imp. Gebennis s. a. — Mel. jedenfalls: In coelesti hierarchia.

23. De sancta Cruce.

1a. Salve lignum crux vitale,
Salve signum triumphale,
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.

1b. Crux vexillum summi ducis,
Pacem portans, porta lucis,
Vera salus est in crucis
Signorum munimine.

2a. Crucis signum salutare,
Gens redemta, venerare
Et in cruce gloriare,
Cruce facta libera.

2b. Signa frontem et cor signa,
Sunt haec crucis signa digna,
Per quam cedit ars maligna
Et potestas infera.

3a. Consecrator crucis, audi,
Servos crucis nos exaudi
Insistentes tuae laudi
Crucis beneficio.

3b. Quos seduxit Eva malo,
A periclis et a malo
Nos tuere in hoc salo
Crucis beneficio.

Grad. ms. S. Agathae s. sign. anni 1512. — Mel.: Verbum bonum. — 1b, 3 es in. — 2b, 4 peccata (pcca) infera, wohl verschrieben.

24. De sancta Cruce.

(A Trinitate usque ad Adventum feriis sextis.)

1. Ave crux alma,
Arbor amanda.

2a. Per saecula celebranda,
Captivis dulcis optanda.

2b. Praefulgida, veneranda,
Redemtis semper colenda.

3a. Quae fuisti dignissima
Dulcia gestare Christi membra
Ex virgine castissima
Matre sumpta.

3b. Per quam venit certissima
Hominum libertas, salus, vita
Redemptio gratissima,
Vere perfecta.

4a. O Margareta
Coelestis lucida
Ac pretiosa,

4b. Solvisti vincla
Captivis, perdita
Per te sunt salva.

5a. Mors est mortua,
Sunt tartara morsa,
Cum te carnea
Ornaverat forma
Gratia dominica.

5b. Coeli gaudia
Reserasti clausa
Et virentia
Paradisi prata
Redidisti pervia

6a. Natura o ligni mira,
Per quod victoria est victa

6b. Et tyrannica
Potestas penitus destructa.

7a. Radix dulcissima,
Fer coeli gaudia,

7b. Nosmet a ruina
Protege, libera
Momenta per omnia.

8a. Te turba Christiana
Habeat munimina

8b. Ad hostis inimica
Propellenda jacula

9. Salve, crux sancta, praecelsa.

Grad. ms. S. Agathae anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15. Cod. Monasteriens. 199 B. — Mel.: Justus ut palma major, aus welcher sich die rhythmischen Abweichungen in Str. 6 u. 7 erklären. — 7a, 2 Flore AB.

25. De sancta Cruce.

1a. Signum Christi triumphale,
Spes et nostra gloria,

1b. Lignum vitae et regale,
Nos protege ac salva.

2a. Lupus ut astutus
non submergat inferis,

2b. Polo sine dolo
reddas piis angelis.

3. Ut conformes
simus beatis
in plenitudine
gratiae.

Miss. ms. S. Blasii anni 1491. Cod. S. Pauli ad Laventum ex Sanblasianis memb. 64. — 2a, 1 sq. ut astutus ne submergat.

26. De sancta Cruce.

1. Salve lignum

2a. Sanctae crucis, spes nostra
et victoria,

2b. Salus, vita, corona
et victoria.

3a. O crux praeclara,
quam impia
tremunt tartara;

3b. In qua rex Christus
emaculat
mundi crimina.

4a. O benedicta,
in qua laxantur delicta.

4b. Per te humana
pacantur et coelestia.

5a. Te cuncta per orbem
dulce canit ecclesia.

5b. Venerans, adorans
pia sternit officia.

6a. Cujus ultima
licet et vilia
simus membrella,

6b. Votis omnibus
tua mysteria
pangamus sacra

7. Nunc et per omnia
saecula.

Grad. ms. Cremifanense 309 saec. 12. A. — Miss. ms. Oenipontanum 611 saec. 15. B. — 2b, 1 Salus nostra B. — 4a, 2 per quam B. — 4b, 2 et fehlt B. — 6b, 3 pangimus B.

27. De sancta Cruce.

1. Magnificate

2a. Dominum mecum
et exaltemus nomen
ejus in id ipsum.

2b. Qui ascendit in
palmam, apprehendere
fructus ejus dulces.

3a. O altitudo
atque profundum
crucis purpuratae
in Christi sanguine!

3b. Quae coelo terram
reconciliat
suprema contingens
et ima penetrans.

4a. Haec sursum corda
stipite suo
levat, quo exaltatus
est per ipsam
ad se trahens omnia.

4b. Ut toto corde,
tota anima,
tota fortitudine
diligatur
nos in finem diligens.

5a. Sed quia
vere diligitur Dominus,
cum servus
ut sese diligit
conservulos,
amicos et hostes
pariter,

5b. In ligno
transverso sacri patibuli
docemur
expansis manibus
crucifixi
dextros et sinistros
amplecti.

6a. Hoc signo consignati
famuli
clareamus
conformes Domino,

6b. Ut jugiter in nobis
ferveat
ipsius et
fratrum dilectio.

7a. Cujus ne tepescat
ignis coelicus,

7b. Ligna duo crucis
en colligimus,

8. Per quae panis coquatur,
quo Elias verus
pascens pascatur.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13314 saec. 11. add. saec. 12. — 3a, 2 et profundum. — 5a, 1 Sed quia tecum.

28. De sancta Cruce.

1. Victimae paschalis crucem
adorent Christiani,

2a. In qua Christus sustulit
Mortem et post detulit
A poenis inferni
peccatores.

2b. Mors tenebat populum,
Sed per hoc patibulum
Populus mortuus
regnat vivus.

3a. Crux Christi praevia,
Crux est coelorum via.
Lignum Christi morientis
Dat gloriam hujus
resurgentis.

3b. Angelus est testis
Sudarii et vestis;
Triumphavit Christus cruce,
Per quem mundus vivit
in hac luce.

4a. Credendum est, ut hoc signum
Adest vitae lignum
Et super ligna
omnia dignum.

4b. Scimus Christum sustulisse
Mortem crucis vere
Et terna die
vitam habere.

Grad. ms. Crucigerorum saec. 15. Cod. Monasteriens. 199 (214). A. — Grad. ms. S. Agathae anni 1512. B. — Mel. = Victimae paschali laudes. — 4b, 3 tertio die B. gegen das Versmafs.

29. De sancta Cruce.

1a. O crux, ave, frutex gratus,
Coeli flore fecundatus,
Rubens agni sanguine;

1b. Ave lignum triumphale.
Inter lignum nullum tale
Fronde, flore, germine.

2a. Per te mundo vita redit,
Ignis, grando, daemon cedit,
Vincla, morbi fugiunt;

2b. Sacramentis das virtutem,
Robur, pacem et salutem,
Te qui colunt, sentiunt.

3a. Salve, lignum mundo suave,
Semper vale, semper ave,
Tot florens virtutibus;

3b. Tu nos, crucis consecrator,
Signa Thaü, vitae dator,
Dans vexillum frontibus.

4a. Juxta crucem compassuri
Cum Maria da maturi
Stemus in angaria,

4b. Et post hujus vitae cursum
Cum Maria laeti sursum
Perfruamur gloria.

Grad. ms. Franciscan. Monacens. saec. 14/15 Clm. Monacens. 8710. A. — Orat. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacens. 3702. B.

30. In Inventione s. Crucis.

1. Laudamus te,
rex ex Maria genite
sempiterne,

2a. Cujus crux
est salus nostra,

2b. Cujus mors
est vita nostra.

3a. Tu victima
et hostia
factus es crucis ara;

3b. Mortis porta
morte tua
per crucem est obstrusa.

4a. Exstincta
sunt venena
tuo sanguine
Leviathan;

4b. Siccata
Babylon jam
per te flumina
sulfurea.

5a. Christe redemptor,
muni famulos
crucis signo;

5b. Adversos fuga,
tuos releva
et exalta.

6a. Novit Constantinus,
quid posset crux tua,
Christe Jesu;

6b. Novit et Heraclius,
dum cadit Cosroë,
hostis tuus.

7a. Sensit Danubius,
te Deum esse verum,

7b. Infectus veneno
serpentis teterrimo.

8. Jesu tibi sit
gloria et laus.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisiens. 9449. A. — Antiph. et

Grad. Nivernense saec. 12. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 1235. B. — 1. 2 ex fehlt B. — 3a, 3 est crucis ara AB. — 7a, 1 Danubibus A. — 7b, 1 Infectis AB.

31. In Inventione s. Crucis.

1a. Veneremur hodie
Crucem regis gloriae
Per laudis praeconium,

1b. Per quam salus oritur,
Cum mors nostra moritur
Et hostis dominium.

2a. Inter spinas lilium,
Cerne Dei filium
Cruentatum sanguine;

2b. Nam in ligno ponitur,
Sacer sanguis funditur,
Quo lavamur flumine.

3a. In praesenti saeculo
Cum crucis signaculo
Adjuva nos, Domine,

3b. Ut vivamus liberi
A fermento veteri
Et a necis fulmine.

4a. Ave crux vivifica,
Te virtus dominica
Dotavit sublimiter,

4b. Dum te grato tempore
Christus suo corpore
Portavit humiliter.

5a. Fili patris unice,
Arcum crucis inspice
Memor tui foederis,

5b. Ut ejus inventio
Salvet a supplicio
Infernalis carceris.

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477. — Mel. vermutlich = Veni sancte Spiritus.

32. In festo Paschatis.

1. Virginali thalamo
dum processit filius,
Unde nos redimeret,
non habebat melius.

2a. Leges occuluerat
atque vaticinia
Tandem patefieri
volens evangelia.

2b. Dat salutem languidis,
dat pacem et gaudia,
Quorum ad interitus
patebant suspiria.

3a. Vagit infans
artus in cunabulo,
Parvo lactis
satiatus pabulo.

3b. Super astra
regnat in coelestibus,
Qui dat escam
bestiis et avibus.

4a. Mundus intrat lavacrum,
Destruit simulacrum,

4b. Per aquam et spiritum
Signat item genitum.

5a. Planum iter et apertum
Tendens vadit in desertum,

5b. Hic tentatur, ne tentemur
Sed a malo liberemur,

6a. Quoscunque terra parturit.
Fons panis sitit, esurit
Non corporis edulium
Sed salutem fidelium.

6b. Traditus a discipulo
Capi, ligari vinculo
Nec flagellari renuit,
Qui mori sponte voluit.

7a. Christi resurrectio,
Ad coelos ascensio,
O pia consolatio,

7b. Fit nostra redemptio,
Salus et protectio,
Pax et reparatio.

8a. Per fraudis osculum
Et fellis poculum
Redemit saeculum,

8b. Nos ergo sedulum
Canamus modulum
Sed non ad oculum

9a. Sequens historia
Narrat haec omnia
Per evangelia;

9b. Nos ergo mutua
Dantes tripudia
Psallamus eia

10. Alleluja.

Grad. ms. Jacobi de Vindocia ca. 1505. Cod. Parisiens. 906.

33. In festo Paschae.

1. Arva splendent coelestia,
Elegit Dominus
nova bella.

2a. Audet miscere proelia
Draco cum Messia,
Vincitur morte scelus,
Surge, sepulte meus,
Mea vita.

2b. Mors mortis, pulchre moreris,
Mundi nefas tollis,
Jesu coeleste decus,
Rex et pontifex meus,
Salus mea.

3a. Dum obis,
lumen verissimum orbis,
plangit virgo theotocos,
plangit virgo theologos,
tuas, o munde,
noxas, vulnera.

3b. Dum mortem
perimis, hostia patris,
tellus tremit, sol nigrescit,
pavet umbras centurio,
chaos antiquum,
mundus trepidat.

4a. Vincla, carcer, verbera,
Spineum diadema,
Alapae, blasphemiae,
Sputa, crux, clavi, acetum,
Fel, lancea necant ipsum
Sathan.

4b. Velum templi scinditur,
Saxa dura finduntur,
Monumenta panduntur,
Multi sancti suscitantur,
Victorem laudant in urbe
sacra.

5a. Stupuerunt inferi
Jubar adventus Christi,
Sed exsultarunt agmina
Animarum
in orco clausa:

5b. O lux Abrahamides,
Hebraeorum prisca spes,
Quanta tenuit te mora,
Tandem solve
tuorum vincla.

6a. Nonne tu percussisti
hostem superbum,
triumphasti draconem magnum,
libertas publica?

6b. Invenit, pastor bone,
te Magdalena,
cum apostolis nos, dux bone,
duc in Galileam.

7a. Da nobis felicem
propitiationem
in finem,
propitiatio nostra.

7b. Da membris post mortem
fessis et animabus
requiem,
requietio nostra;

8a. Et regni gloriam
videre, ubi cum palma
coelestis
Hierusalem in aula

8b. Tui tecum festo
perenni milites regnant,
fave, rex
gloriae, et exaltetur,

9. Domine, semper
victrix dextera tua.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438.

34. Feria IV. Paschae.

1. Adest namque
Pascha Christi
nobis venerandum,

2a. In quo ipse resurrexit,

2b. In quo cuncti adoremus.

3a. Deum videlicet patrem
ac unigenitum simul
Dominum Jesum Christum,

3b. Qui nostram propter salutem
carnem sumi voluit et
pro nobis incarnari

4a. Ex benedicta
virgine casta,
matre Maria.

4b. Atque peregit
valde stupenda
magnalia.

5a. Ipse est Deus verus
atque homo,
qui cum patre
cuncta gubernat.

5b. Ipse est salus vera
atque virtus,
qui cum patre
cuncta largitur,

6a. Regens gubernansque
continens et salvans
solus cum patre simul
sanctoque spiritu,

6b. Personis in tribus
venerantes unum
dicamus: nostra, Deus
summe, terge probra.

7a. Jam debitas hodie,
rex, laudes gratas
respice,

7b. Quem modulando tua
plebs reboat nunc
devota.

8. Te sempiternum
viventem per saecula.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisiens. 9449. A. — Miss. ms. S. Maturini Parisiens. anni 1510. Cod. Mazarin. 430 (233) B. — 1, 3 veneranda A. — 2a, 1 In quod ipse A; in quo Christus B. — 3a, 2 unigenitum tuum simul B. — Zwischen Str. 3a und 3b folgt in AB: Gaudentes omnes atque laudantes cuncti eum Christo, was nicht nur das Versmafs stört, sondern auch an dieser Stelle absolut keinen Sinn hat. Dieses Glied wie Str. 3b sind in A spätere Zuschrift am Rande. — 4a, 1 Et benedicta A. — 4a, 3 mater A. — 4b, 1 peregi A. — 5a, 1 est verus Deus B. — 7b, 1 Quas modulando B. — Nach Str. 8 folgt in B noch: 8b Adorans hodie resurgentem cum gloria. 9. Amen dicant nunc omnia.

35. In Octava Paschae.

1. Sempiterno

2a. Devote depromat
regi Christo pneumata

2b. Candidata turma
vocibus nunc supera.

3a. Quem supera
splendida
laudant, polus, mare
solumque cum gratia.

3b. Plebs candida
studeat
cum sanctis dogmata
pangere angelica.

4a. Laude celsa valeat
jubilo vocis personare
famina

4b. Trinum atque regnare
et unum credendo ubique
per saecla;

5a. Ante mundi virtute
principium divina
vitae portas
perenni resplendere
cum potenti sua
sapientia;

5b. Luce alma creata
gubernare per saecla.
patris doxam
manere poli alta
in qua est salus
et laus aeterna.

6a. Altithrone
nunc dominator, petimus
te. salute pro nostra
qui venisti ad infima

6b. Cruore et
proprio nos redemisti
jam conterens zabuli
machinamenta callida,

7a. Hic et in aevum conservare
nos semper, conspectui
ut tuo possimus
adsistere sine macula.

7b. Qui cubiculo aeternali
coelestique latitas,
dignare audire
supplicantum praeconia,

8. Ut in perpetuum carmina
omnibus, amen, personare
valeamus
cum sanctis dulcia.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. Mit Mel. — 6a, 4 qui fehlt. — 7b, 2 laceras.

36. In Ascensione DN.

1a. Sursum corda sublevemus
Et triumphum personemus
Salvatoris hodie,

1b. Quem coelestis hierarchia
Dulci laudat symphonia
Titulo victoriae.

2a. Nam infernus spoliatur,
Paradisus reseratur
Crucis cum victoria;

2b. Libertati captus datur,
Orbis totus gratulatur,
Gaudet coeli curia.

3a. Victor surgit, animatur,
Planctus matris commutatur,
Conresurgunt gaudia;

3b. Regi praeda copulatur,
Coelos scandit, exaltatur
In paterna gloria.

4a. O quis cibus angelorum.
Quae sunt festa supernorum
Regis in rosario,

4b. Quo regina coeli porta,
Per quam mundo lux est orta,
Cernitur cum filio.

5a. Pie Jesu, forma mores,
Pelle pestes et errores,
Nos videre coeli flores
Da post haec exsilia.

5b. Dulcis Jesu, supplicamus,
Ut te laeti videamus
Cum Maria gaudeamus
Et sanctis in gloria.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacens. 7815. — Form und Haltung beweisen, dafs das Lied eine Sequenz ist.

37. In Ascensione Domini.

1. Adest dies celebris,
Coelum Christo petitur,
Sedens gens in tenebris
Redemptorem sequitur,
Caput nostrum dextera
Patris cinctum laurea
Supra cuncta sistitur.

2a. Ecce, patri loquitur,
Populum, qui sequitur,
Fluor mei lateris
Solvit domo carceris,
Nobiscum associa,
Quos potenti gratia
Eduxi ab inferis.

2b. Salve, unigenite,
Fateor, quod dedi te
In lumen gentilium,
Fert pater ad filium.
Istos libens capio,
Illis bonum cupio,
Quos tenet exsilium.

3a. Omne, quod vis, facio,
Tam brevi in spatio
Tua sancta passio
Solvit omne saeculum;
Da locum ubilibet
Et manducet quilibet,
Quod parasti, ferculum.

3b. Ego cum spiritibus
Exsultans fidelibus
Grates tibi refero
Praedilecto filio;
Illusisti daemoni,
Subvenisti homini
Crucis beneficio.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14926 saec. 15. — Mel. jedenfalls: Mundi renovatio, aber nach der französischen Singweise. — 1, 4 Redemptor subsequitur Hs.

38. In Ascensione DN.

1a. Paracliti sancti
consolationem piam

1b. Exspectamus, sanctam
repromissionem tuam.

2a. Peracta ascensionis
sancta solemnia,

2b. Qua regressus es in coelum
nube vectus clara,

3. Pollens laude
aeterna.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 860.

39. De Spiritu sancto.

1a. Veni, pie consolator,
Mundi cordis habitator
Et fidelis mediator
Christi et ecclesiae,

1b. Sanans omne, quod sanatur,
Salvans omne, quod salvatur,
Sacrans omne, quod sacratur,
Doctor omnis gratiae.

2a. Sacramentis dignitatis
Simul et diversitatis
Munus addis nobis gratis
Precibus non pretio.

2b. More justi donatoris
Fuga trini mercatoris
Munus manus, munus oris,
Munus ab officio.

3a. Omnis virtus tuum donum,
Gratis donans omne bonum,
Per quae malis te patronum
Nobis gratis efficis;

3b. Nos excusas, nos defendis
Et allegas et praetendis
Corpus aegrum nostris mendis
Apud iram judicis.

4a. Tu benignus spiritus
Postulans medullitus
Et pro nobis gemitus
Das inenarrabiles.

4b. Hoc est tuum gemere
Nos gementes facere
Et pro culpis fundere
Preces lacrimabiles.

5a. Est insulsum, quod mens orat,
Si non preces hic saporat,
Frustra loquens os laborat,
Verba si non hic colorat.
Nuda sunt et arida.

5b. Hic amarum cor dulcorat,
Quod ignorat, quod implorat,
Docet, donat, sicca rorat
Dubiaque certiorat,
Ignit corda gelida.

6a. Reple fructu vitae ligni,
Ure, quidquid est maligni,
Signo crucis nos insigni,
Timent hujus signum signi
Nationes exterae.

6b. Igne pius ignis igni,
Quos fecisti tibi gigni,
Fac, ne noti, ne praevigni
Simus sed haeredes digni
Filiique dexterae.

Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. — 2a, 2 diversitatis (das Wort ist unleserlich). — 2a, 3 nobis fehlt in der Hs., eine Lücke von 2 Silben. — 3a, 3 per quam.

40. Feria VI. Pentecostes.

1a. Veni, sanctum neuma, veni,
Igne corda nostra leni
Tuo et examina.

1b. Veni sancte consolator,
Mundae mentis habitator,
Mundans nos illumina.

2a. Pectus nostrum fac decorum
Et disrumpe delictorum,
Quae nos premunt, vincula;

2b. Igne tuo mentes ure
Nostras, ut sic tibi pure
Fiant habitacula.

3a. Patris, verbi sanctum flamen,
Esto nobis consolamen
In hac valle misera,

3b. Consolari nos dignare,
Sensus nostros inflammare
Flamma salutifera.

4a. In nos tuum des ardorem,
In nos mittas et amorem
Dei atque proximi;

4b. Amor fratris, amor regis,
Hic est summa sanctae legis
Et praecepti maximi.

5a. Isto reple nos amore,
Ut psallamus mente, ore
Tibi, sancte spiritus;

5a. His nos alis fac volare
Ad superna et calcare
Mente mundum penitus;

6. Te credentes,
Te colentes
Consolare coelitus.

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060.

41. De sancto Spiritu.

1a. Mundi renovatio,
Cunctorum creatio,
Regimen justitiae,
Jubilus laetitiae,
Entium primordium,
Finis et exordium,
Veni, sancte spiritus,

1b. Ignis volabilitas,
Aquae fluxibilitas,
Aeris spiratio,
Terrae fecundatio,
Omnia in singulis,
Salus in periculis,
Veni, pater pauperum.

2a. Coelum per te vehitur,
Movetur et regitur,
Ut fide contegitur,
Gratia tu praevia
Plana quaeque devia,
Gravia fac levia,
Consolator optime.

2b. Gelu mortis teritur,
Spes et vita quaeritur,
Pax aeterna seritur
In te confitentibus,
Sauciatis mentibus,
Lassis et egentibus
In labore requies.

3a. Vita nos vivifica,
Salute salvifica,
In coelis clarifica,
O lux beatissima.

3b. Viam coeli petimus
Indigni licet simus,
Quam habere nequimus
Sine tuo numine.

Miss. ms. Voravinense 35. saec. 14. — Mel. der Ostersequenz gleichen Anfangs, deutsche Singweise.

42. De Corpore Christi.

1a. Gaude Sion,
mater ecclesia,
Nova tibi
resurgunt gaudia,
Quae nunc patent
in Eucharistia
Pretiosa.

1b. Pretiosi
corporis Domini
Nunc unio
fit sacro sanguini;
Haec est dies
humano semini
Fructuosa.

2a. In hac die
panis efficitur
Verum corpus,
vinum transponitur
In sanguinem,
hoc non ambigitur
Christianis.

2b. Hoc est, de quo
coena apostolis
Data fuit,
sed falsis dyscolis
Fit damnamen,
Judaeis frivolis
Et paganis.

3a. In hac die
nox luce premitur,
Exit verum,
falsitas demitur,
Regnant nova,
vetustas tollitur
Nubilosa.

3b. Tantum sacrum
non vident oculi,
Ne fruentes
horrescant singuli
Sacerdotes
nec non et populi
Re mirosa.

4a. Caro cibus,
sanguis fit potio,
Christus verus
exstat et unio,
Fractione
nec fit divisio
Rei sectae.

4b. Corpus uno
vel mille fruitur
Nec ab illis
sumptu consumitur,
Tam a bonis
quam malis capitur
Sed nec recte.

5a. Exstat salus
digne fruentibus,
Sed damnamen
est abutentibus,
Sic est impar
vita fruentibus
Sacramento.

5b. Hoc est manna
traditum patribus
Et angelis
et viatoribus,
Panis nunquam
mittendus canibus
Abs fermento

6a. Jesu, vere
qui panis diceris,
Miserando
condole miseris,
Qui fideles
quondam ab inferis
Rapuisti.

6b. Ut jungamur
fine cum superis,
Exaudi, nam
probitiaberis,
Ne damnemur,
quos poenis miseris
Redemisti.

Miss. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 861. Mit Mel.

43. De Corpore Christi.

1a. Sacrosanctum corpus ave
Jesu Christi, tu persuave
Nobis es edulium;

1b. Ave Jesu, verbum suave,
Dei patris, per quod a vae
Coetus fit fidelium.

2a. Lumen coeli, splendor patris,
Nos illustra prece matris
Tuae pastu coelico;

2b. Verum corpus ave Christi,
Tu nos cruce redemisti
Sanguine non modico.

3a. Esto nobis medicamen,
Virtus, victus, lux, levamen
Et vitae communio;

3b. Jesu salve, salve Christe,
Tuorum sanctorum siste
Nos in contubernio.

4a. Ecce tibi laudes damus,
Venerantes te rogamus
Te tibique canimus;

4b. Salve dulcis et benigne,
Salve cuncta laude digne,
Tibi benedicimus.

5a. Vere tu delectas sensus
Omnes pastu dansque census
Meritorum omnibus;

5b. Parce nostris jam peccatis
Et da nos te nosse satis
Et vigorem sensibus

6a. Jesu, nunc sis exoratus,
Quod nos et nostri conatus
Semper tibi placeant;

6b. Ut a te non separemur,
Sed crescamus et salvemur
Sancti tui moneant.

Miss. ms. Andecense saec. 15, Clm. Monacens. 24002. — Aus der missa de sacramento miraculoso.

44. De Corpore Christi.

1a. Salve corpus Salvatoris,
Vas dilectum, vas amoris,
Vas divinae gratiae;

1b. Vas perenne, vas ornatum,
Virginali ventre natum
Arte sapientiae.

2a. Salve thronus trinitatis,
Solium divinitatis,
Electorum gloria;

2b. En abyssus hic sophiae
Atque summae hierarchiae
Majestas plenaria.

3a. Dei splendor et figura
Est hic patris genitura,
Speculum sine macula;

3b. Nam hic plena deitas,
Corporali habitans
Et manens praesentia.

4a. Hic primum principium.
Ens cunctorum entium.
Qui firmavit aethera:

4b. Qui mensura, pondere.
Numero, libramine
Condit cuncta cetera.

5a. Quis unquam mortalium
Tam ingens prodigium
Explicare potuit?

5b. Mari, ventis imperans.
Cuncta solus ordinans.
Quem virgo parturiit.

6a. Terram palmo qui concludit,
Mica panis hic includit.
O Deum mirabilem!

6b. O quam large te exponis.
Promptus malis atque bonis
Praebens te esibilem!

7a. Cujus unquam cor pensavit
Plene aut excogitavit
Tam alta mysteria:

7b. Mundum continens pugillo
Signo tectus sic pusillo.
O mira clementia!

8a. O majestas infinita.
Vis amoris inaudita,
Amandi materia:

8b. Sedens super Cherubim,
Thronos atque Seraphim
Excolendus latria.

9a. Ex quo, per quem omnia.
Una manu clauditur.
Nobis factus hostia
Digitis contingitur

9b. Cujus, quaeso, valeat
Os aut ac lingua promere,
Quod Deus hic lateat.
Sub tantilla specie?

10a. O Dei dignatio,
Quis mirari sufficit,

10b. Quod tua plasmatio
Te in verbo conficit?

11a. Salve, corpus reverendum,
Cum stupore contingendum,
Amoris incendium;

11b. Amor tuus amor fortis,
Parem non habens consortis
Sic amantis nimium.

12a. Quo affectu trahebaris,
Quo amore vincebaris,
Cum tantum delectabaris
Esse cibus hominum

13a. Quis pro tali caritate
Te amat in veritate,
Jesu, Dei salutare,
Fac nos vere te amare
Hic et in perpetuum;

12b. Nam te totum exhausisti
Atque nobis impendisti,
Supra modum dilexisti
Traducem mortalium.

13b. Caro Dei, et non sinas
Sion muros et ruinas
Sine nobis reparari,
Fac ad illam nos quadrari
Virtute coelestium.

14. Grates tantae caritati
Nos agamus sic amati,
Omnis homo omni hora
Hoc adora, hoc honora
Corpus divinissimum.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14841 saec 15. A. — Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacens. 716 B. — Mel. = Salve mater Salvatoris mit Wiederholungen bei Str. 10 u. 14 B. — Str. 1a lautet in A:
Salve corpus, vas dilectum,
Vas amoris, vas confectum
Igne divinae gratiae.
3b, 2 habitas A. — 9b, 2 Os aut lingua depromere.

45. De Corpore Christi.

1a. Verbum patris incarnatum,
De Maria nobis datum,
Ab antiquis figuratum
Veneremur hodie,

2a. Ave panis angelorum,
Esca, cibus viatorum,
Ab hoc mundo profectorum
Dux exorbitantium.

3a. Ave corpus benedictum,
Panis specie amictum,
Hujus vitae ut conflictum
Vincamus in latria.

1b. Per quod patres visitavit
Nosque pane vitae pavit
Pastor verus, summus David
Coelestis militiae.

2b. Ave donum summi patris,
In altari natus matris,
Consecratus verbo fratris,
Doctor ignorantium.

3b. Supplicamus, o charisma,
Ut peccati tollas schisma,
Mundanorum post sophisma
Vivamus in patria.

Miss. ms. Sanctae Coronae anni 1498 Cod. Pragens. XII C 6. A. — Grad. ms. Jistebnicense saec. 15. Cod. Musaei Bohem. s. sign. B. — 1a, 2 De Maria uberatum A. — 2a, 1 Pie panis A. — 2a, 2 Cibus, esca A. — 3a, 4 in atria A. — Mel. = Verbum bonum.

46. De Corpore Christi.

1a Divinum mysterium
Semper declaratur,
Et mens infidelium
Tumens excaecatur,
Firma spes credentium
Fide roboratur

1b. Fides est summopere
Credere in Deum,
Panem sanctum edere
Et tractare eum,
Qui dicebat: sumite,
Hoc est corpus meum.

2a. Panis prius cernitur,
Sed dum consecratur
Corpus tunc efficitur
Christi, sic mutatur;
Quomodo convertitur?
Deus operatur.

2b. De vino similiter,
Si sit benedictum,
Ex tunc est veraciter
Christi sanguis dictum,
Credamus communiter,
Verum est non fictum.

3. Nobis celebrantibus
Tale sacramentum
Et cunctis credentibus
Fiat nutrimentum,
Omnibus negantibus
Sit in detrimentum.

Miss. ms. Novesiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12063.

47. In Dedicatione ecclesiae.

1a. Gaude,
virgo mater ecclesia,

1b. Christo
quae nuptiali copula

2a. Domino dote
foederaris sempiterna,

2b. Decoris stola
et immortali gloria.

3a. Haec est illa
a finibus
terrae veniens regina

3b. Voluptatum
terrenarum
deserendo illecebras.

4a. Ut Salomonis
verba audiat
magnifica,

4b. Vitae monita
pie sectando
sublimia.

5a. Haecque illa
aureo virtutum
amictu decorata

5b. Dei dextrae
adsistens regina,
cujus ab intus gloria.

6a. Quam Deus alloquendo:
audi, inquit, filia,

6b. Domum patris abnega,
mundo abrenuntia.

7a. Ut serveris actu
et mente virginea.

7b. Placet decor, placet
speciositas tua.

8a. O admiranda,
o praedicanda
Dei gratia;

8b. O largitatis,
o pietatis
abundantia:

9a. Humana Christo
in sponsam
copulatur anima!

9b. Jam inquam unum,
non duo
Christus et ecclesia.

10a. Semper regnatura cum
ipso in coeli gloria

10b. Fruens jucunditate
felici jam in saecula.

11. Cum Deus erit
in omnibus omnia.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508 A. — Miss. ms

Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. — Miss. ms. Roman.-Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. 9445. C. — 2a, 1 Hodie foederaris C; foederaris dote AB; dote fehlt C. — 2b, 2 et immortalitatis C. — Zwischen Str. 5a und 5b folgt in C: Ipso [l.: Christi] monita complecto [sic] sublimia. — 7b, 1 et placet C. — 8b, 3 fehlt C. — 9b, 1 sqq. Caritas copula jam quidem unum non duo Christus et ecclesia sponsa sponsi unica. C. — 10a, 1 sq. Regnatura secum et ipsa. C. — Melodie in AB.

48. In Dedicatione ecclesiae.

1a. Adest dies jubilaeus,
In quo summus pater Deus
Suae donum gratiae

1b. Mundo dedit salutare,
Ergo, Sion, gratulare
De dono laetitiae.

2a. Gaude coelum, terra plaude,
Jucundare digna laude
De Christi clementia.

2b. De supernis innovata,
Nova prole fecundata
Nunc mater ecclesia.

3a. Haec est illa civitas
Jerusalem beata,
Johannis praesagio
Jam praefigurata.

3b. Haec est in diluvio
Summi regis archa,
Quam in mundi fluvio
Novus patriarcha

4a. Suo cruore roseo
Rite fecundavit,
Qui te sacro latere
Jugiter manavit.

4b. Nos a peccatis omnibus
Vere liberavit
Et coelesti patriae
Nos aequiparavit.

5a. Ergo Jesu, rex coelorum,
Tuam catervam hominum
Rege sine termino,

5b. Ut migrantes de hoc mundo
Gloriemur de jucundo
Angelorum domino.

Grad. ms. Altovadense 42 anni 1410. A. — Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Cremsense saec. 15. Cod. Pragens. XII B 13. C. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 45 saec. 15. D. — 5a, 2 Nostram catervam B.

49. Prosa Dominicalis.

1. Qui coelorum
contines regna,

2a. Dolentum
qui consolatio
comprobaris unica,

2b. Umbrosae
qui fles Jerusalem
ruitura moenia,

3a. Nosmet a ruina vera
petimus libera.

3b. Praevenire tua nostra
tribue lamenta.

4a. O anima miserrima
hoc lamento signata,

4b. Quae diem transitoriam
hic celebras deflendam.

5a. Malis absconsis
time ventura tempora.

5b. In die poenas
ne perferas aliena;

6a. Ne vallo circumdata,
depressa angustia
requiras latibula;

6b. Ne terrae consternata,
lapidibus vacua
ipsis, gemas misera.

7a. Visitationis quia
praesentis inscia

7b. Delectationes tuas
sequeris avida.

8a. Exclama: peccavimus,
reatum cognoscimus,
detur gratis venia.

8b. Ad te jam confugimus,
a malis eruamur,
refugium, Domine,

9. Te da, demus ut gratias
per cuncta saecula.

Sequent. ms. Palat. Vindobonens. 1043 saec. 12. A. — Grad. ms. Epternacense saec. 12. Cod. Parisiens. 10510. B. — Titel: Domine refugium B. — 4b, 1 diem tuam transitoriam AB. — 5a, 1 sq. abscondisti me B. — 6a, 1 De vallo B. — 6a, 2 ne pressa B. — 6b, 1 terra B. — 7b, 2 avita A.

50. Tempore pestilentiae.

1a. Jubilemus pia mente,
Voci corde concinente,
Trinitatem collaudantes

1b. Patrem prolemque precemur,
Sanctum pneuma veneremur
Laudis melos concrepantes.

2a. Omnes una proclamemus,
Summum Deum imploremus,
.
Misereri ut dignetur.

2b. Cor gravatur, cor languescit,
Jam gens moeret et plangescit,
Pestis morsum dum veretur.

3a. Aura laedit, furit pestis,
Morbus urit, nulla maestis
Spes salutis redditur,

3b. Mare fluit mixtum felle,
Jam tempestas, jam procellae,
Plebs ubique premitur.

4a. Si pro malis irascaris,
Tempus est, ut revertaris,
Pie Jesu, miserere.

4b. Leo lustrans oves quaerit,
Nisi praesis, ovis perit,
Bone pastor, nos tuere.

5a. Terra, mare, firmamenta,
Quaeque parent elementa
Tuo facta numine,

5b. Mare novit te calcantem,
Dum te sentit ambulantem,
Factor fertur flumine.

6a. Cuncta sistunt te jubente,
Non moventur sed repente
Redduntur pacifica,

6b. Toto nisu, tota cura
Omnis laudat te factura,
O virtus almifica.

7a. Auras mitte nobis laetas.
Pestes prece procul pelle.

7b. Transfer nos ad vitae metas,
Ne nos turbent tot procellae.

8a. Olim culpa nos ligati
Respirantes cedimus,

8b. Corde moesto flagellati
Tibi soli credimus.

9a. Lex antiqua transgressores
Conversos eripuit.

9b. Tuae legis abusores
Pie dum corripuit.

10a. Joab Abner prosequente
Et hunc armis insequente
Prece datur venia,

10b. Joab vitam consecutus
Nocte viam transit tutus
Per montis cacumina.

11a. David in prophetico
Vita datur termino
Pro delicto gravi,

11b. Tersum fugit facinus.
Dum fatetur vocibus
Inquiens peccavi.

12a. Ezechias reddit fletum
Et peccatum est deletum,
Statim ut poenituit,

12b. Fletum fecit et profecit,
Sibi Deus hinc adjecit
Annos et constituit.

13a. Mitis Esther piae mentis
Pro salute suae gentis
Assuerum adiit,

13b. Hinc fit salus Mardochaeo,
Crux aequatur Aman reo,
Qui suspensus periit.

14a. Virtus Judith, de supernis
Diva dum illuminat,

14b. Caput aufert Holofernis
Et captivos liberat.

15a. Mater ergo summi regis,
Tibi natus Christus verus,

15b. Quos signavit umbra legis,
Hesther tu, hic Assuerus.

16a. Virgo natum intercede,
Ut afflictos liberet,

16b. Salvet hos a pestis caede,
Quos pie redemerat,

17a. Virgo mater, maris stella,
Fons hortorum, verbi cella,
Ne nos pestis et procella
Peccatores obruant.

17b. Eja, mater, terge fletum,
Tempestatis seda fretum,
Cor moestorum redde laetum,
Jam preces subveniant.

18a. Proles parcit, si peroras,
Mater, ergo rumpe moras,
Posce tuum filium,

18b. Aura foeda, rumpens pestis
Simul cadant, confer maestis
Salutis auxilium.

19a. Nostras tuus ipse natus
Tollat poenas et reatus
Nobis praestans consolamen

19b. Sui regni sempiterni,
Ubi cives sunt superni;
Personemu somnes Amen.

Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14667. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1525. B. — 1a, 1 Decantemus pia B. — 4b, 2 nisi pressis B. — 5b, 2 sensit. — 8a, 2 cernimus B. — 10b, 1 Jacob vitam. — 12b, 2 hoc adjecit B. — 13b, 2 Crux paratur B. — 15a, 2 Tuque natus B. — 16b, 1 Salvet nos B. — 18a, 1 Aurae A. — 18b, 2 cadens A.

Die Sequenz wird wohl nie zum musikalischen Vortrage bestimmt, sondern, einer Votivmesse angehörend, eine Lesesequenz gewesen sein. Zur Messe bemerkt B: „Missa pro vitanda mortalitate, quam Dominus Clemens papa sextus constituit et ordinavit servato ordine infrascripto: et concessit omnibus praedictam missam audientibus CCIX dies indulgentiae. Et omnes audientes dictam missam debent habere candelam accensam in manibus et per totam missam stare flexis genibus et hoc per quinque dies, quibus debet ipsa missa celebrari: et probatum est pluries, quod audientibus tales missas non nocet subitanea mors quin habere possint spatium poenitentiae.

II.

DE BEATA.

51. De Conceptione BMV.

1a. Innovetur hac in die
Vox fidelis ad Mariae
Votiva solemnia,

1b. Et in laudem matris Dei
Mens prorumpat plena spei
Dulci cum concordia.

2a. Vinea in Dominica,
Area ex Davidica
Vitis est propagata,

2b. Quae fructum dans fecundius,
Florem effundit dulcius
Coelitus irrigata.

3a. Cujus suxit ex medulla
Mundus mel et lac jam nulla
Passurus nocentia,

3b. Quam spiritus obumbravit
Et eandem roboravit
Sua cum potentia.

4a. Sic suscitato pio germine
Abrahae fidelis ex semine
Verba per angelica,

4b. Angelorum nacta imperium,
Conscendit ad coelum empyreum
Jam Dei domestica.

5a. Exsultet polus
Cunctis cum spiritibus
Resultet tellus
Suis cum militibus
Et tu, ancilla Dei,
ex tanta munificentia

5b. Sanctis locata
Sponsi in connexibus,
Exsaturata
Cupitis amplexibus,
Gaude et lauda Deum,
a quo haec sufficientia.

6a. In sanatis et salvatis
Per te tuae sanctitatis
Argumenta probantur,

6b. Nam morbosi manifeste
Venerantes te a peste
Multiplici curantur.

7a. Tu igitur, virgo gratiosa,
Speciosa paradisi rosa,
Ab aegrotis animae damnosa
Mox dignare effugare;

7b. De Aegypto luti tenebrosa
Et exosa valle lacrimosa
Intra prata nos deliciosa
Accelera sublevare.

Miss. ms. Brixinense anni 1372. Cod. Oenipontan. 295. — Mel.: jedenfalls die der Sequenz gleichen Anfangs auf Ingenuinus und Albinus.

52. De Conceptione BMV.

1a. Candida virginitas,
Consurgens aurora,
Gloriosa veritas,
Desuper irrora
Gratiam, decora.

1b. Splendida benignitas,
Fervens omni hora,
Radiosa caritas,
Filium exora,
Veniam implora.

2a. Nam tui conceptio
Fuit nuntiata,
Angelico nuntio
Annae lucidata,
Cujus tu alloquio
Es sanctificata,
Ante sancta quam nata.

2b. Verbi incarnatio
Mire figurata
Et grandi spectaculo
Moysi monstrata,
Divino consilio
In te consummata,
Nobis est vita data

3a. Ex te orta veritas,
Vera lux et via,
Homo Deus ἅγιος,
Salvator, Messia,
Quem testatur deitas
Vera prophetia
Simeonis illa.

3b. Et exorta castitas
De saeculo dia,
Et assumpta puritas
Superis Maria,
Collataque sanctitas
Cum vera sophia
Omnium regina.

4a. Ubi tibi serviunt
Chori angelorum
Et in te prospiciunt
Agmina sanctorum,
Ave. canunt modulis,
Regina coelorum.

4b. Eja decus virginum,
Gloria justorum,
Spes vera fidelium,
Venia reorum,
Duc nos post exsilium
Ad regna polorum.

Miss. ms. Burdigalense saec. 15. Cod. Parisiens. 871. — 1a, 2 aurora legis, überzählig. — 2a, 6 Sanctificata et. — 3a, 5 Quam testatur.

53. In Conceptione BMV.

1a. Gaudeamus
omnes in terminum
Nostri luctus
laudantes Dominum,

1b. Qui ascendit
in florem virginum,
Tulit onus
nostrorum criminum.

2a. Haec est dies,
quam fecit Dominus,
Exsultemus,
laetemur in ea.

2b. In qua coepit
fulgere cominus
Progrediens
stella de Judaea.

3a. Jam sterilis
Anna fit gravida,
Cujus onus
cunctis proficuum.

3b. Haec est proles
a Deo provida,
Sacrarium
de qua fecit suum.

4a. Ut radium
solis in nebula
Creavit hanc
salvator omnium;

4b. Diu scitur
ista puellula
Ante suae
carnis initium.

5a. Navigantes quidam mari
Salutis in dubio

5b. Explorarunt se salvari
Virginis auxilio.

6a. Laeti fiunt prius maesti
Sedanturque maria,

6b. Dum promittunt hujus festi
Omnia solemnia.

7a. Nos qui sumus in hac valle,
Perditionis in calle
Assistentes hodie

7b. Tuae laudi, fraglans rosa,
Nata spinis nec spinosa,
Loca nos in requie.

8. Amen vox ecclesiae.

Miss. ms. Calmontanum saec. 14. Cod. Parisiens. 9442. add. saec. 15. — Mit Mel. — 6b, 2 lies colere solemnia?

54. De Conceptione BMV.

1a. Diem sacram celebremus,
Odas laudis personemus
Festivando laetius,

1b. Qua beata mater Christi
Est concepta, desit isti
Murmur indiscretius.

2a. Absit hic syllogizare,
Lexis loram non laxare
Debes neque derogare
Theotocos honoribus.

2b. Nonne rosam sine spina
Quivit dare mens divina,
Mundam luis a sentina,
Carnis a squaloribus?

3a. Fidelis Dei verna,
De Christi da lucerna,
Quod pater hanc ab aevo
Perfecit sine naevo.

3b. Non senserat piaculum
Hoc Christi tabernaculum,
Supremus quod dicavit,
Prae cunctis hoc beavit.

4a. Plures santificatos
In matris alvo natos
Scriptura sancta docet,
Quos edere non nocet:

4b. Sic fuit Isaias,
Sic magnus Jeremias,
Johannes et baptista,
Praeclarus praeconista.

5a. Sed amplius hic egit
In matre, quam elegit,
Supremus hanc compegit
Ex forma non infecta.

5b. Quod quivit, nam et licuit,
Totaliter explicuit
In matre, qui emicuit
In mundo jam praefecta.

6a. Credo, regem mortis legem
Hic laxasse, praeservasse
Matris suae formam;

6b. Quod et pium est et dium
Confiteri, nec id reri
Quid contra legis normam.

7a. Approbatam, revelatam
Matris conceptionem

7b. Recolamus et credamus
Sic ejus unionem.

8. Ut virgo nos Maria
Hic protegat in via
Et mundi post certamen
Nos sumat; omnes dicant Amen.

Miss. ms. Neoclaustrense XII B 11 saec. 15. — 2a, 2 Λῆξις. — 3a, 1 Fidelibus. — 5a, 3 Summus.

55. In Nativitate BMV.

1. Ecce solemnis diei
canamus festa.

2a. Qua saeculo
praesens fit gemma potens
et nobilis Maria,

2b. Regalibus
exorta parentelis,
theotocos inclita.

3a. Haec egressura
de germine Jesse
tempore prisco
praedicta est virgula,

3b. Ut flos ex ejus
radice procedens
turbida mundi
absolveret crimina.

4a. Istam venturam
veterum parentum
linguae prophetiis plene
testabanter coelitus ac
praecinuerant
alma oracula.

4b. Quae virgo manens
paritura foret
unicum morte filium
spiritaliter conceptum
qui contraderet
mundo remedia.

5a. Quae Davidis genita
stirpe clara
generosi nominis
fert insignia.

5b. Salomonis creditur
haec propinqua
sed majori praedita
sapientia.

6a. Haec de regibus
generis clari
sumpsit exordia,

6b. Et haec eadem
regis aeterni
mater castissima,

7a. Ejus qui ante tempora
fuerat
atque saecula,

7b. Qui angelos et homines
junxerat
pace placida.

8a. Illius nobis
adesse
cuncti precamur
auxilia,

8b. Per quem tam gravis
destructa
paci concessit
discordia.

9a. Illius hoc nobis
acquirat
genitrix sancta,
quam sonant gaudia,

9b. Atque suum nobis
placatum
faciat natum
per cuncta saecula,

10a. Ille nobis cuncta
ut dimittat pleniter
delicta

10b. Et aeterna clemens
tribuat ornarier
corona.

11a. O nunc, coelorum domina,
famulorum vocibus
mota, quae deposcunt,
aure suscipe benigna

11b. Et nos tuo munimine
tuearis sedule,
donec nosmet regna
dones scandere superna.

Trop. ms. Mindense anni 1024. Cod. Berolinens. IV. 11. — Mel.: „Puella turbata". — 3b, 1 Et flos. — 4b, 3 unico.

56. In Nativitate BMV.

1a. Novum vas est Elisaeo
Allatum, quod sal in eo
Mittat summus opifex;

1b. Auro tectam omni parte
Mira fabrefecit arte
Arcam primus artifex.

2a. Templum Dei consummatum
Legitur et consecratum
In mense Septembrio,

2b. Ita clarum, sic electum
Nusquam opus est perfectum
Mundi ab exordio.

3a. Virgam siccam fronduisse,
Vellus rore maduisse,
Ignem rubum non ussisse,
Sacra prodit pagina;

3b. Ista cuncta sed et plura,
Quae commemorat scriptura,
Quando legis, parum cura,
Quia sunt velamina.

4a. Totum quod est honestatis,
Virtutis et claritatis
In scripturis positum,

4b. Ad honorem tuum, pia
Virgo mater, o Maria,
Esse scimus editum.

5a. Sedes Deo praeparata,
Fiscella bituminata,
Matris alvo consecrata,
Nata mundo hodie;

5b. Manna nostrum tu servasti,
Quo nostri sunt patres pasti,
Sed et nos, dum sumus casti,
Pascimur quotidie.

6a. Arca tu es deaurata,
Domus bene columnata,
Porta viris obserata,
Soli Deo pervia.

6b. Rite tu vas Elisaei,
Rite domus dicta Dei,
Qua curantur omnes rei
Sumentes praesidia.

7a. Illustri de stirpe nata,
In salutem nobis data,
Flecte natum precibus.

7b. Esse sui cohaeredes
Ut possimus, ubi sedes
Multae in coelestibus.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14926. saec. 15. Mit Mel.

57. De Praesentatione BMV.

1a. Gaude, virgo gloriosa,
Ave, paradisi rosa,
Salve, decus virginum,

1b. Hebraeorum stirpe nata,
Peccatorum advocata,
Angelorum gaudium.

2a. Infans patri obedisti
Et asylum introisti,
Ubi Deum coleres,

2b. Conternantem te litasti
Et in templo protelasti
Donec viro nuberes.

3a. Legem tibi statuisti,
Quam devote perfecisti
Vivens regulariter,

3b. Mane Deum exorasti
Et exinde laborasti
Libens et hilariter.

4a. Noctu quando dormitasti,
Corde simul vigilasti
Nunquam vacans otio,

4b. O quam felix et beata,
Tibi frugi, Deo grata
Fuit haec devotio.

5a. Per quam cunctos praetulisti
Ac per illam meruisti
Invenire gratiam,

5b. Quam amisit protoplastus,
Qui in paradiso fastus
Intulit miseriam.

6a. Redde ergo, mater Christi,
Gratiam, quam invenisti,
Peccatori valde tristi
Impetrando veniam.

6b. Salva cunctos poenitentes
Matrem Dei te credentes
Et corruptam non fatentes
Sed infantis filiam.

7a. Te laudantes intuere,
Innocentes contuere,
Peccatorum miserere
Et rebelles fac parere
Gubernanti omnia;

7b. Ut quicunque te collaudant
Contra pneuma non delinquant,
Creatorem non offendant,
Redemptori laudes pangant
Per aeterna saecula.

Miss. ms. Raitenbuchense saec. 15. Clm. Monacens. 12204. A. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacens. 7815. B.

58. In Praesentatione BMV.

1a. Audi, Maria, nos,
Templum deitatis,

1b. Audi, Maria, nos
Nantes in peccatis.

2a. En praesentata es
Templo trima hodie,

2b. Per quinos gradus pres
Ascendisti propere.

3a. Gaudia nova
Sunt orta,
Haec dum sistitur;

3b. Orbis, hinc ova,
Quod porta
Coeli panditur.

4a. Nos custodi, virgo,
A peccatorum fluctibus

4b. Mundi hujus, virgo,
Nos orna virtutibus.

5a. Ave, potens hic patrona,
Corruscans miraculis,
Ave, reorum matrona,
Comparata liliis.

5b. Non hic simus viatores
In valle miseriae,
Praesenta nos peccatores
In asylum gloriae.

Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15.

59. In Annuntiatione BMV.

1a. O tempus temporum
Desiderabile,
Quo Deus omnium
Hoc ave habile
Mittit in saecula,

1b. Attendens misera
Humani generis
Et damnabilia
Antiqui seminis,
Et aufert omnia.

2a. O felicissima,
Ave quae suscipit,
Virgo purissima
Salutem peperit
Commune omnium.

2b. Mater et filia
Virgo efficitur,
Vim per haec talia
Natura patitur
Dei per spiritum.

3a. Lingua quae poterit
Plene depromere
Vel quis retexerit
De textu literae
Dona haec gratiae?

3b. O virgo virginum,
Tu de coelestibus
Advocas Dominum,
Quem das terrestribus
Pro dono veniae.

4a. Felix puerpera
Quae fructu uteri,
Ea, quae vipera
Humano generi
Struxit, tu disjicis.

4b. Sacri plenarium,
Quae zyma scoriae,
Mortis initium,
Per natum gloriae
In vitam redigis.

5a. Digne laudabilis
Cunctis fidelibus,
Praeadmirabilis
Cunctisque gentibus
Et peramabilis.

5b. Nunc tuis laudibus,
Virgo purissima,
Pie instantibus
Mente piissima
Adsis placabilis.

6a. Ut sit propitius
Te venerantibus
Jesus credentibus,
Ut tecum siderum
Jungamur civibus.

6b. Christe, qui tua hac
Matre et filia
Ponis sub gratia
Salutem hominum,
Hinc tibi gloria.

Miss. ms. Zwethalense saec. 14. in. Mit Mel. — Mittit ad virginem.

60. In Annuntiatione BMV.

1a. Gaude, virgo, stella maris,
Quae parentem virgo paris
Mundo ferens gaudia;

1b. Sine patre facta parens,
Munda caro labe carens,
Coeli plena gratia.

2a. Gaude, rubus, sedes facta
Deitatis, sed intacta
Carnis per incendia;

2b. Virga Aaron supra morem
Parit fructum, parit florem
Virga Jesse regia.

3a. Gaude, thronum summi regis,
Foederantis arca legis
Continens mysteria;

3b. Spiritalis urna cibi,
Domus, in qua domum sibi
Fecit sapientia.

4a. Gaude, terra, quae per rorem
Germinasti salvatorem
Simul cum laetitia;

4b. Fons hortorum, clausus hortus,
Favus stillans, vitae portus,
Porta coeli pervia.

5a. Gaude, virgo, mater Dei
Singularis, tantae rei
Servans privilegia;

5b. Nova stella novum solem,
Novam virgo profert prolem,
Lactans patrem filia.

6a. Gaude, sola spes lapsorum
Gaude, decus angelorum,
Hominum laetitia;

6b. Nato pio, mater pia,
Mediatrix o Maria,
Nos clemens concilia.

Miss. ms. Calmontanum saec. 14. Cod. Parisiens. 9442. Mit Mel.

61. De Visitatione BMV.

1a. Ave lucis fundamentum,
Fidei positio,
Te signavit firmamentum
Factum in principio,

1b. Maria, illuminata
Per duo luminaria,
Carne Christi humanata
Cum deitate socia.

2a. Gratia sic fecundari
Plena te castam voluit,
Sicut aqua abundari
Orbem Deus disposuit.

2b. Dominus est vere tecum
Autoritate regia,
Quia tibi soli secum
Subjiciuntur omnia.

3a. Benedicta tu vocaris
Sola in mulieribus,

3b. Divis quia tu dotaris
Prae ceteris muneribus.

4a. Benedictus fructus tui
Ventris, vita sufficiens,
Qui nobis dativus sui
Sit salus indeficiens.

4b. Et tu Christo praesentata
Tuis fave supplicibus,
Trinitate tu placata
Nostris assiste precibus.

Cod. Lubicensis (ol. fol. 22.) saec. 15. A. — Miss. ms. Bremense saec. 15. B. — Autor der Sequenz Magister Johannes Hauc. Cfr. Analecta V, S. 61. Mel.: O beata beatorum A.

62. De beata Maria V.

Tempore Nativitatis DN.

1. Salutata coelitus
Mater fit divinitus
Passa nil puerpera.

2a. Stilla, dulcis mamma, filio,
In quo salus nec in alio
Spes est ulla miseris.

2b. Non in aula nec in solio,
Hic, hic vagit in praesepio
Infans terror inferis.

3a. Foenum jacet, strictum fascia,
Verbum patris, plenum gratia,
Pacti memor foederis.

3b. Cerne stellam, audi, filia,
Num tui nati sit gloria
Tam canora superis.

4a. Hic est ille, hic revera
Risus Sarae, cum de sera
Isaac suscipitur.

4b. Dona date fide mera,
Hic est, gentes, in quo vera
Vobis salus mittitur

5a. Serva, mater, ad cunabula
Pascens agnum intra stabula
Te pascentem suaviter;

5b. Mater, inquam, sine macula,
Laudi preces jungant saecula
Te cantando jugiter.

6a. Gemma coeli, porta veniae,
Tuae florem pudicitiae,
Placa regem gloriae;

6b. Quos antiquae fraus astutiae
Morti dedit et miseriae,
Duc ad portum gratiae.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 417. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. B. — Sequent. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 1584. C. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. D.

63. De Compossione BMV.

1a. Gaude, turba fidelium,
Mentis colens martyrium
Ejus, quae dedit filium
In mortem pro miseris.

1b. Sed gaudendo compatere
Matri desolatissimae
Cum digna gratitudine
Effectu pietatis.

2a. Nati condolet sic poenis,
Ut congaudeat redemptis
Ex fervore caritatis,
Cui non est similis.

2b. Datur mater discipulo
Cum maximo mysterio,
Joannis sub vocabulo
Quivis venit fidelis.

3a. Gratias tibi, domina,
Quod mater facta es nostra,
Sub cruce salutifera
Filio cooperans.

3b. Age sic grates filio
Pro tam grandi sacramento,
Tuorum ut devotio
Semper hinc sit jubilans.

Sequent. ms. Montis S. Georgii post Missale Mellicense imp. Norimbergae s. a. — Mel. vermutlich Verbum bonum.

64. De beata Maria V.

Tempore paschali.

1a. Mundi renovatio
Tenuit primordia,
Cum ex matris gremio,
Qui creavit omnia,
Prodiit fons luminis,
Mundus ergo virginis
Celebret solemnia.

1b. Ignis almi pneumatis
Igniat praecordia
Jam redempti plasmatis
Tua per suffragia;
Virgo, spes fidelium,
Et per tuum filium,
Renovantur omnia.

2a. Coelo tu serenior,
Angelis sublimior,
Cunctis amabilior;
Vallis nostra floruit,
Dum grandescit virginis
Alvus expers criminis,
Nostrum ver intepuit.

2b. Gelu mortis solvitur,
Verus sol exoritur,
Quo surgente panditur
Vita, quam restituit
Nobis cum victoria
Resurgens in gloria,
Quem Maria genuit.

3a. Viam praebet facilem
Se ostendens humilem,
Qua exitiabilem
Quis evadet gladium.

3b. Vita mortem superat,
Nam Christus nos reparat.
Qui nobis jam praeparat
Paradisi gaudium.

Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. A. — Miss. ms. Voraviense 6. saec. 15. B. — 2b, 4 instituit B. — 3a, 3 Quam B. — 3b, 2 Nam virgo B. — 3b, 3 jam fehlt B. — Die Melodie bezeichnet 1a, 1. — Eine s. g. „christliche Korrektur“ dieser Sequenz enthält Grad. Pragense VII A 13. saec 16. Verändert sind folgende Stellen:

1a. Prodiit fons luminis,
Natus almae virginis,
Cujus haec solemnia.

1b. Ignis almi pneumatis
Igniat praecordia
Ut redempti gratias
Persolvamus debitas
Conditori omnium
Qui per suum filium
Renovavit omnia.

2a. Coelo qui serenior.

65. De beata Maria V.

Tempore paschali.

1. Jesu Christi matri laus sit
Gloria dicta Jesu.

2a. Gratiarum actio,
Laus et jubilatio
Pro nobis mortuo
Quondam, nunc vivo.

2b. Solus nobis obiit,
Sed non solus revixit
Multos sed conduxit
Regno divo.

3a. Laetemur hinc omnes
Christo conresurgentes
Et matri tanti victoris
Devoti simus omnibus horis.

3b. Gaude nunc, Maria,
Virgo clemens et pia,
Congaude Christo viventi
Piisque votis nostris consenti.

4a. Vicit, regnat, imperat
Immortalis vere
Jesus, quem nobis
Dona videre.

4b. Jesu, fili virginis,
Nostri miserere,
Tibi matrique
Fac nos placere.

Grad. ms. Novacellense s. sign. anni 1442. A. — Clm. Monacens. (ol. Superioris Altae) 9508. saec. 15. B. — Mel.: Victimae paschali AB.

66. De gaudiis BMV.

1a. Gaude, virgo gratiosa,
Verbum verbo concepisti;

1b. Gaude, tellus fructuosa,
Fructum vitae protulisti.

2a. Gaude, rosa speciosa,
Vernans Christo resurgente;

2b. Gaude, mater gloriosa,
Christo coelos ascendente.

3a. Gaude, fluens deliciis,
Nunc rosa juncta lilio;

3b. Emunda nos a vitiis
Et tuo junge filio.

Miss. ms. Monacense 23 054. saec. 14.

67. In Assumptione BMV.

1. Gaude eja,
unica columba,
speciosa sponsa,
superno regi consociata.

2a. Beata
semper Dei
genitrix, pia virgo
Maria,

2b. Precamur,
alma, preces
exaudire digneris
et nostras.

3a. Praeclara dies
nobis instat,
quam temporum affert
orbita revoluta.

3b. Haec solemnitas
est hodie
et festivitas nostra
merito veneranda.

4a. Celebremus eam
lingua vocifera,
gratulemur in ea
corde pio Dominum
laudantes,
mente pura,

4b. Ut delicta nostra
tergat manu sua
summa pia gratia,
nostra conserventur et
corpora
custodita.

5a. De gente fera
nos libera
Normannica,
quae nostra vastat Deus regna.

5b. Senum jugulat
ac juvenum
et virginum,
puerorum quoque catervas.

6a. Depelle, precamur,
cuncta nobis mala;
Converte,
rogamus supplices,
Domine, nos ad te,
rex gloriae,
es qui vita,
pax, salus pia
spes et firma.

6b. Dona nobis pacem
atque concordiam;
Largire
nobis spem integram,
fidem simul veram,
caritatem
continuam
concede nobis
et perfectam.

7a. Sanctorum
precibus nos adjuvemur
ad haec impetranda,

7b. De quorum
passione gratulemur
modo gloriosa.

8. Laus sit et par gloria
trinitati quam maxima
cuncta per saecula.

Trop. ms. S. Maglorii Parisiens.? saec. 11 et 12. Cod. Parisiens. 13252. — 1, 3 sonsa. — 3a, 3 qua temporum. — 3b, 3 nostre. — 4a, 1 ea. — 4b, 4 sq. conserventur corpora et. — Das Alter der Sequenz bestimmt annähernd Str. 5a.

68. In Assumptione BMV.

1a. Mater misericordiae,
Stirpis puella regiae,

1b. Primordium laetitiae,
Humanae causa veniae.

2a. Sedes sapientiae,
Via poenitentiae,
Domus pudicitiae,
Relevamen et solamen
Miseris et tristibus,
Medicamen, adjuvamen
Lapsis poenitentibus.

2b. Firmamentum, documentum
Castis et humilibus,
Supplementum, nutrimentum
Cunctis indigentibus.
Aliis virginibus
Pulchrior in omnibus,
Ornata monilibus.

3a. Cantibus celebribus
Cantanda fideliter,

3b. Vocibus supplicibus
Jucunda suppliciter.

4a. Alma regina,
Lux matutina,

4b. Stella marina,
Forma divina.

5a. Imperatrix omnium,
Firma spes credentium,
Praemium,
pretium,
gaudium,
Salus es fidelium,
Janua coelestium.

5b. Consolatrix supplicum.
Prophetarum canticum.
Unicum,
mysticum,
coelicum,
Decus es angelicum,
Promissum Davidicum.

6a. Genus regale,
Vas spiritale.

6b. Templum virginale,
Donum speciale.

7a. Gemma castitatis,
Flos virginitatis,
Norma sanctitatis.

* * *

Felix dicta, virgo pura
Simul et puerpera,
Maritalis thori jura
Nesciens et foedera.

7b. Jesum nobis placatura
Semel petit aethera,
Sine fine regnatura
Mole carnis libera,
Justis laus aeterna,
Die hodierna
Transcendens superna.

8a. Lilium pudoris,
Myrthus et honoris,

8b. Sui genitoris
Mater et pastoris.

9a. Qua neque melior
Neque felicior
Mulier habetur,

9b. Qua nulla prior
Neque posterior
Partu videtur.

10a. Origo clementiae,
Titulus prudentiae,

10b. Speculum justitiae,
[Sedes sapientiae].

11a. Fons virtutis nimiae,
Dulcis et diligenda,

11b. Per quam porta gloriae
Fuit aperienda.

12a. Per quam inclita
Lux est edita,

12b. Per quam reddita
Vitae praemia.

13a. Super choros angelorum
Regnat exaltata

13b. Maria, regis coelorum
Genitrix beata,

14. Nimis honorata,
Mater et beata.

Grad. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 903. add. in margine saec. 12/13. Ohne Mel. — 8a, 2 Mitis et honoris. — 10b, 2 ergänzt; es fehlt an dieser Stelle entweder eine Zeile, oder wenn 10b, 1 zu 10a zu ziehen, die ganze Parallelstrophe 10b. — 14, 1 Vivis.

69. In Assumptione BMV.

1a. Sacra mundo fulget dies,
Quam sacravit sacra quies
Genitricis Domini,

1b. Gaudeamus hac in die
Commendantes nos Mariae,
Gloriosae virgini.

2a. Dies ista, dies laeta,
Qua coelorum in secreta
Natus matrem recipit,

2b. Felix mater in egressu,
Quia suo te consessu
Natus dignam efficit.

3a. In mandatis hoc habemus,
Ut parentes honoremus
Sintque nobis proximi:

3b. Hujus memor est mandati,
Hunc honorem qui dat matri,
Ut sit consors solii.

4a. O quam felix, quam beata
Patris mater, nati nata,
Quam felicis gratiae,

4b. Cui natus dedit donum,
Ut in suum ipsam thronum
Exaltaret hodie.

5a. Multa tibi dedit dona,
Sed donorum est corona,
Quod haec dies attulit,

5b. Quae a mundo te solutam,
Veste carnis reindutam
Coeli thronis intulit.

6a. Duplicatur en corona,
Duplex tibi datur stola
Carnis atque spiritus:

6b. Ista quasi singulari
Solam te vult gloriari
Ille tuus unicus.

7a. Gaudet chorus angelorum,
Et consortes gaudiorum
Fac nos esse, domina;

7b. Fac gaudere tuos tecum
Et ad pia vota precum
Aurem piam commoda.

8a. Felix sidus et regina,
Per quam luxit lux divina,
Nos in umbra respice;

8b. Tende manum stratis humi,
Fac, assumpta, nos assumi
Beatorum requie.

Miss. ms. S. Floriani III 208. saec. 12.

70. In Assumptione BMV.

1a. Pro matre Christi Maria
Congaudeat ecclesia,

1b. Pro societate sua
Suspiret ad perpetua.

2a. Matrem misericordiae
Precentur Sion filiae,

2b. Ut hac valle miseriae
Cum illis sit in acie.

3a. Per te, dulcis o Maria,
Vincuntur multa proelia,

3b. Ab incursu phantasmatum
Custodis cordis sabbatum.

4a. Per te pulsato vitio
Malum habetur odio,

4b. Tu scis amoris foedere
Corda de terra tollere.

5a. Per te salvantur omnia,
Per te redditur gaudium,

5b. Per te fugantur vitia
Et his datur silentium.

6a. Per te cuncta jucunditas
Habetur et solemnitas,

6b. Tu mater es et filia
Parensque paris nescia.

7a. Tu mater es fidelium,
Consolatrix humilium,
In te sit nostrum omnium
Amor et ardor cordium.

7b. Per te cives angelici
Sint nostri semper medici,
Qui nos curent a triplici
Hoste nec sinant subjici.

8a. Hostes omnes inficiunt,
Quos possunt, et afficiunt,
Sed hos omnes despiciunt,
Qui frui tecum sitiunt.

8b. O mater regis incliti,
Pro dignitate meriti
Fac nos tuo juvamine
Vero repleri lumine.

9a. Cantemus omnes hodie
Cum ingenti laetitia

9b. Laudes virginis Mariae,
Quae laetatur in gloria.

10a. Haec est regina virginum
Transcendens culmen ordinum,

10b. Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.

11a. Nos ad sanctorum gloriam
Per ipsius suffragia

11b. Post praesentem miseriam
Christi perducat gratia.

Miss. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisiens. 10502. Ohne Mel.

71. In Assumptione BMV.

1a. Angelorum ordinatrix,
Peccatorum mediatrix,
Sanitatum sanitas;

1b. Dominarum dominatrix,
Reginarum imperatrix,
Sanctitatum sanctitas.

2a. Patrem paris
parens et filia,
Tibi soli
constat haec gloria,
Gemma mortalium;

2b. Ave mundi
rosa mundissima,
Fraglans rosa,
rosa purissima,
Reis remedium.

3a. Mali naevum delevisti,
Solem stella genuisti,
Genitorem filia;

3b. Morte mortem qui domando,
Lacu faecis emundando
Secum traxit omnia.

4a. Moriendo mortem stravit,
Ad inferna pervolavit,
Vectes fregit inferos;

4b. Suis ibi se ostendens
Ad se traxit manus tendens
Derelinquens miseros.

5a. Ave, per quam salus datur,
Ave, per quam solidatur
Nostrum insoliditas;

5b. Ave, per quam relaxatur,
Ave, per quam pessumdatur
Reatus enormitas.

6a. Ave, mater
regis justitiae,
Fons salutis,
origo veniae,
Porta coeli,
domus laetitiae,
Deviantes
reformans gratiae,

6b. Ad te clamat
claustralis concio,
Quam asylum
omnis professio
Profitetur,
nostra redemptio,
Nostra salus,
nostra salvatio.

7a. Deprecamur, nos absolve
Absolutosque confove
Nos in coeli curia;

7b. Ibi Christum collaudemus
Incessanter et cantemus
In excelsis gloria.

Miss. ms. S. Maglorii Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 623. — 2b, 2 Flagrans. — 3b, 1 donando. — 6b, 3 Quem asylum.

72. In Assumptione BMV.

1a. Quae est ista, quae ascendit
Transiens deserta,
Quo tendit aut quid praetendit
Floribus operta?
Pape, furem non ostendit
Opibus referta,
Virgo singularis;
O, praedo jam praedaris,
Praeda factus virginis.

1b. Haec est hostis Holofernis
Mulier Hebraea,
Quid Judaeos, Aman, spernis,
Hester est Hebraea.
Mardochaeo crucem sternis,
Punieris ea,
Singularis ferus
O, rex est Assuerus,
Hester magni nominis.

2a. Haec est illa virga, Jesse
Quam fert Isaias
De radice natam esse,
Cujus flos Messias;
Passionis suae messe
Stravit mundi vias,
Fructu tricenario,
O, cum sexagenario
Atque centenario.

2b. Haec est Sunanitis illa,
Quae David servivit,
Ista Jahel tam pusilla
Sisaram contrivit,
Haec est regina Sibylla,
Quae regis adivit
Salomonis regiam,
O, cujus sapientiam
Audit in sacrario.

3a. Haec de manu Pharaonis
Suum salvat masculum,
Haec est vellus Gedeonis
Rore ditans vasculum,
Haec est veri Salomonis
Singulare ferculum
Et turris eburnea,
Ha, tota resplendens aurea,
Tota delectabilis.

3b. Haec est, in quo se reclinat
Rex, reclinatorium,
Viatori, dum declinat,
Haec est diversorium,
Caput super hanc inclinat
Non habens tugurium
Rex aeternae gloriae;
Ha, quam dulcis est memoriae,
Mater tam laudabilis.

4a. Haec est arbor inflammata
Sed comburi nescia,
Stella Jacob procreata,
Veri solis nuntia,
Porta semper obserata,
Soli regi pervia,
Sed et arca foederis
Allata David humeris,
Magno sublata jubilo.

4b. Lunam tenet haec sub planta,
Sole stat circumdata,
Qualis exstat et quam sancta
Tot habens charismata,
Tot figuras, signa tanta,
Tot habens aegnigmata,
Quot sunt coeli sidera;
Ha, quanta sit considera,
Tu quisquis es in jubilo.

5a. Istis suffulta flosculis,
Istis malis stipata,
Stat exuta periculis
In portu laureata,
Desideratis osculis
Jam fruitur beata,
Conjuncta trinitati;
O, plaudant jam renati
Ad verbum tam suave.

5b. O jubilum, quo jubilat
Mater nato unita,
O quam praeclara rutilat
Duplicibus vestita,
Translator non sic ventilat,
Fides allegat ita,
Quod regnat jam cum Deo,
O, carnis cum tropheo,
Ergo dicamus: Ave.

6a. Ave, Maria, gratia
Plena, sit tecum Deus,
Corruptionis nescia,
Quam somniat Judaeus,
Tabescat in fallacia
Seductor Saducaeus;
Nam vere resurrexisti,
O, dulcis mater Christi,
Reorum miserere.

6b. Ave, Maria gratiae
Mater, mundi regina,
Mater misericordiae,
Salva nos a ruina;
Fons vitae, vena veniae,
Venire tunc festina,
Cum morti propinquamus,
O, tecum valeamus
Perpetuo gaudere.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 141. saec. 14. mit Mel. A. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. B. — 1 b, 1 hostis fehlt A. — 1 b, 7 singularis fehlt B.

73. In Assumptione BMV.

1 a. Lux illuxit
festive celebris,
Qua terrenis
Maria tenebris
Felix eripitur

1 b. Et aeternae
lucis ad solium
Juxta regem
regina filium
Mater assumitur.

2 a. Ad honorem
matris et gloriam
Ascendenti
procedit obviam
Christus alacriter,

2 b. Et agentes
diem laetitiae
Omnes cives
beatae patriae
Occurrunt pariter.

3 a. Affluentem
castis deliciis
Et vernantem
rosis ac liliis
Juvat adspicere;

3 b. Juvat arcam
Dei cum canticis
Ordinatis
choris hymnidicis
Sursum deducere.

4 a. Admirantur
humilem virginem,
Cujus omnem
transcendit ordinem
Praecelsa dignitas;

4 b. Nec est tristi
locus invidiae,
Nam ipsius
congaudet gloriae
Cunctorum caritas.

5 a. Recognoscunt,
hanc esse feminam,
Quae ruinam
replens angelicam
Coelos laetificat;

5 b. Mundus omnis
hanc esse dominam
Et reginam
cunctis beneficam
Sentit ac praedicat.

6 a. Eja Deo
prae cunctis proxima,
Quae cum eo
regnas in anima
Simul et corpore,

6 b. Claro tui
conspectu filii
Tecum frui
fac nos exsilii
Transacto tempore.

Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14 667 A. — Clm. Monacens. (ol. Sanemmeranens.) 14 343 anni 1351 B.

74. In Assumptione BMV.

(Die III. infra Octavam.)

1 a. Salve, sancta Dei parens,
Virga Jesse, flos non arens.
Veri solis regia;

1 b. Forma vitae, fons virtutis,
Porta lucis, spes salutis,
Vallis nostrae gloria.

2a. Mundi jubar, stella maris,
Lux praefulgens singularis
Jure privilegii;

2b. Virgo gignens genitorem,
Luna mundo dans splendorem
De splendore filii.

3a. Spes humani generis,
Sanctitatis speculum,

3b. Arca novi foederis,
Novae pacis vinculum.

4a. Per te, virgo, reformatur
Dei pax et hominum,

4b. Per te mundo salus datur
Et medela criminum.

5a. Per te cedit hostis victus,
Coit vulnus et inflictus
Olim dolor exsulat;

5b. Cadit accusator fratrum
Et in lacum missus atrum
Draco magnus ejulat.

6a. Virgo mater, mater Dei,
Mater unigeniti,

6b. Te laudamus, quamvis rei,
Per te Deo geniti.

7a. Ora patrem, ora natum,
Nostrum tollat ut reatum
Et clementer deleat,

7b. Ut post onus servitutis
Libertatis ac salutis
Porta nobis pateat.

Miss. S Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel.

75. De Assumptione BMV.

(Quinta die Octavarum.)

1a. Vergente mundi vespere
Sereno fusus sidere
Coeli procedit radius,

1b. Inducto carnis onere
Sacro dependes ubere,
Patris aeterni filius.

2a. In Gedeonis vellere
Et in rubi caractere
Praesignaturus cernitur,

2b. Cujus aperto latere
Cedit velamen literae
Et lex vetus exponitur.

3a. Sacramenta novae legis
In pressura Christi regis
Et in crucis ludibrio

3b. Planctum docet Jeremiae
Et languores Isaiae
Regis alti suspendio.

4a. Virgo, sidus singulare,
Virgo, mundi luminare,
Christi profusa genibus,

4b. Illi refer latus, lora,
Spinas, clavos et perora
Istis intercessoribus.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 830.

76. In Octava Assumptionis BMV.

1a. Omnis coeli hierarchia
Felix in theophania
Gaudet ab initio,

1b. Ubi crescit, dum Maria
Illic scandit ex hac via,
Jucundandi ratio.

2a. Elevata est ab imis
Arca Noe et sublimis
Montes supergreditur,

2b. Cujus odor fragrat nimis,
Haec pro meritis opimis
Praemiis perficitur.

3a. Affluens deliciis
Collectis divitiis
Scandit de deserto,

3b. Quae amicta variis
Canit tympanistriis
Dilecto reperto.

4a. Thalamum secretiorem
Virgo intrat ob decorem
Universis praedita,

4b. Virga, quae produxit florem,
Sed naturae praeter morem,
Refertur in abdita.

5a. Regem mater dum adorat,
Vice versa rex honorat
Matrem omni gloria,

5b. Sacrum flamen quam virorat,
Civitatem haec explorat
Et pertransit omnia.

6a. Ter vocata coelitus
Semel venit penitus
Digne coronanda,

6b. Unde plus quam primitus
Gaudet ejus spiritus,
O res praedicanda.

7a. Arcae Dei jam translatae
Patet in sublimitate
Dignum tabernaculum;

7b. Hesther ab humilitate
Ducitur in caritate
Regis ad cubiculum.

8a. O quae ista est et qualis,
Quae virtutum volat alis,
Ubi est securitas;

8b Super terram non est talis,
Cui supernaturalis
Inest singularitas.

9a. Laudes ergo alacriter
Coeli demus communiter
Nos reginae,

9b. Ut cum ipsa similiter
Conregnemus feliciter
Sine fine.

10a. Sed quae hodierna die
Coelos adis hujus viae
Consummato termino,

10b. Quos adhuc psychomachiae
Labor gravat, illos pie
Recommenda Domino.

Grad. ms. Dusseldorpinum D 11 saec. 15. — Mel. = In coelesti hierarchia.

77. De beata Maria V.

1a. Ave Dei genitrix,
coelestium,
terrestrium,
infernorum domina.

1b. Tu suavis universis,
fructifera,
suavitatem
dans odoris virgula.

2a. Ut fructus tui ventris
Crescat in nobis, in
misericordia
uberi.

2b. Participationis
ejus in idipsum
fac nos participes
fieri.

3a. O quam divinitatis
obumbrat virtus,
spiritu
principali repleta,

3b. Ejusdem spiraminis
sub umbra tu nos
protegas
in pace perpetua.

4a. Tu plena salutaris
gratiae,
quam inhabitat
plenitudo deitatis.

4b. Medicinam da mentis
et carnis,
ut inhabitet
virtus spiritus in nobis.

5a. Repleatur in bonis
desiderium
te colentium
in laetitia

5b. Ad gloriam nominis
tui filii,
cui laus, honor
sit per saecula.

Miss. ms. Sitanstettense XIV. saec. 12. — 1b, 3 sq. suavitatem odoris virga Hs.

78. De beata Maria V.

1. Salve, nobilis puerpera,
Exaltata super aethera,
Sancta Maria.

2a. Salve lux solaris,
Fulgida stella maris,
Virgo singularis,
Dulcis Maria.

2b. Verbo fecundaris,
Patrem filia paris,
Nec partu gravaris,
Sancta Maria.

3a. In qua tam mira genitura
Nihil suum habet natura,
Dulcis Maria,

3b. Sed verum solem paritura
Incorrupta manes et pura,
Sancta Maria.

4a. Solo nutu spiritali
Paruit ordo naturae
Regi regum novo jure,
Ut in partu daemonstratur,
Dulcis Maria.

4b. Nam in aula virginali
Repromissus Emanuel,
Quem praesignavit Gabriel,
Miro modo humanatur,
Sancta Maria.

5a. Nulla te infecit macula,
Quae sanguine lavantem saecula
Virgo generasti,
Dulcis Maria.

5b. Dura priscae legis fercula
In lactea gratiae pocula
Partu commutasti,
Sancta Maria.

6a. Coeli rorem,
Campi florem
Ex te accepimus,
Dulcis Maria.

6b. Novum lumen,
Verum numen
Per te adoramus,
Sancta Maria.

7a. Tu, virga castitatis,
Profers florem aeternitatis.
Dulcis Maria.

7b. Decus virginitatis,
Pollens flore divinitatis,
Sancta Maria.

8a. Nunc stipata coelitibus
Manum tuis supplicibus
Praebe in hoc exsilio,
Dulcis Maria,

8b. Ut, qui misere vivimus,
Sub carnis mole gemimus,
Supplica tuo filio,
Sancta Maria,

9. Non nos velit derelinquere,
Sed jam dignetur respicere,
O Maria,
Virgo pia,
Matrum gloria.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. A. — Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13314 saec. 11. add. saec. 13. B. — Miss. ms. Gottwicense 432 saec. 15. C. — 3a, 2 Nil suum B.

79. De beata Maria V.

(Infra Nativ. et Purific.)

1a. Omnis ager scripturarum
Tui ventris germen clarum,
Virgo mater, redolet;

1b. Omne semen aerumnarum,
Quidquid Eva dat amarum,
Ille fructus abolet.

2a. Anus Sara dum fetatur,
Domus Abrae collaetatur
Matri diu sterili;

2a. Aula coeli jucundatur,
Quia salus ex te datur
Mundo diu flebili.

3a. O Maria, mater Christi,
Rubus ille tu fuisti,
Ignis quem non nocuit;

3b. Ignem verbi tu gessisti,
Corruptelam nec sensisti,
Sic nos fides docuit.

4a. Manna coelo pluit verum,
Quando venit auctor rerum
Virginis in uterum;

4b. Qui cruoris sui merum
Vitis vera dans sincerum
Mutat ritus veterum.

5a. Arens virga germinavit,
Virgo feta terminavit
Culpam primae feminae;

5b. Pater verbum seminavit,
Caro verbum generavit
Sine viri semine.

6a. Rore vellus inundatum
Signat pneuma tibi datum
Multiformis gratiae;

6b. Arvum circa desiccatum
Dat Judaeum jam privatum
Conditoris facie.

7a. Deus pater hoc juravit,
Quod de fructu ventris David
Regni thronum sedeat;

7b. Vere fructus ventris David,
Princeps pacis jam regnavit,
Nunc captivus redeat.

8a. Illud tuum mundum pectus,
Quo quievit Deus tectus
Humano sub corpore,

8b. Salomonis erat lectus,
Viris bonis circumspectus
Nocturno sub tempore.

9a. Ecce constat jam completum
Isaiae magni laetum
Illud vaticinium:

9b. Virgo praegnans dedit fetum,
Quo fugavit mortis metum
Hostis et dominium.

10a. Porta clausa te signavit,
Per quam solus rex intravit
Serato signaculo;

10b. Hoc et lapis praemonstravit,
Quo nil homo laboravit,
Abscissus miraculo.

11a. Virgo, templum deitatis,
Plena summae pietatis,
Nos indignos respice

11b. Quo redundas praesta gratis,
Ut in tuae claritatis
Sorte simus, effice.

Miss. ms. Seccoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. A. — Miss. ms. Seccoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. B. — 11b, 1 redundans B.

80. De beata Maria.

1a. Ad laudem virginis,
Quae sine labe criminis
Est mater veri luminis,
Cordis et oris
conformemus cantica;

1b. Quae Deum genuit,
Ut rubus igne canduit
Et virga Jesse floruit
Non ex natura
sed virtute mystica.

2a. Matris praecelsae meritum
Naturalem interitum
Recludens vitae
reseravit aditum;

3a. Tu carens carie,
Obstaculum perfidiae,
Tu restauratrix veniae,
Quae sternis hostem,
promotorem sceleris.

4a. Nunc vetus error siluit
Noctemque lux praevaluit
In tenebris
erroris et miseriae.

5a. Vellus vita
madens gentium,
Tellus rore
carens arida.

6a. Efficeris puerpera,
Claudis inter viscera
Regem
salvatorem saeculi.

7a. Te subdidit et condidit
Mundum,
coelos et aequora

8a. Te sponsus ecclesiae
Vocat in meridie
Clamans: veni,
sponsa, propere.

9a. Tunc vetitus
Introitus
Per te,
virgo, cunctis panditur

10a. Nobilis et inclita,
Dono Dei praedita,
Caritate subdita
Cum salute genita
Propaginis humanae,

2b. Cujus votiva castitas
Et singularis dignitas
Humanum genus
refecerunt perditum.

3b. Virtus debilium,
Tu salutis principium,
Reductrix exsulantium,
Quae neminem
sperantem in te deseris.

4b. Per te medela criminum
Detur et salus omnium,
Te collaudat
coelestis culmen patriae.

5b. Viro nulli
patens ostium,
Miro modo
verbo gravida.

6b. Ut sol de coelo gignitur,
Deus ex te nascitur,
Summum
sublevamen populi.

7b. Et moriens obediens
Mundi
sustulit facinora.

8b. In amore langueo,
Tui carere nequeo,
Digna, veni,
coronabere.

9b. Qui labitur
Et sternitur,
Per te
coelitus erigitur.

10b. Interpella filium,
Ut post hoc exsilium
Coeli refrigerium
Det nobis, et vitium
Relaxet mentis vanae,

11. Et cor virtutum
. repleat inane.

Clm. Monacens. (ol. Tegurin.) 18628 saec. 10. add. saec. 13. — Mit Neumen. — 9a, 3 u. 4 und 9b, 3 u. 4 verstellt Hs. — 10b, 5 relaxa Hs.

81. De beata Maria V.

1a. Mirum fit oraculum
Gabrielis ore,
Coeli tabernaculum
Terrae claudunt orae,
Lucent virtutis honore.

1b. Anna gerit flosculum
Fusum fructus rore,
Vesper fert crepusculum
Lucentis aurorae
Praegnans mirabili more.

2a. Terra stellam genuit
Vitandam fulgore,
Virgo nata claruit
Coelesti splendore,
Morbidos vigore
Fons erumpens imbuit,
Aridos liquore.

2b. Tu virga, quae canduit,
Virens in candore,
Quae pubendo caruit
Radicis humore.
Vita puriore
Nam nascendo splenduit
Libani virore.

3a. Res mira conspicitur:
Sphaera puncto clauditur,
Maximus minore;

3b. Fons a stilla geritur,
Sol a stella gignitur,
Fructus est in flore.

4a. Dulcor mari mittitur,
Decor carni jungitur
Humili pudore,

4b. Ima summis, nascitur
Rhinoceros, capitur
Virginis amore.

5a. Expavescit ratio:
Purae fit purgatio,
Deus est oblatio,
Lege fit redemptio
Pro legislatore.

5b. Implens corda gaudio,
Ora vaticinio,
Senem docet unctio,
Matrem nati gladio
Transfigi dolore.

6a. Mors distendit
Sepulchri regiam,
Dum extendit
Sol stolam regiam,
Terra tendit
Ad solis regiam
Cum decore.

6b. Apprehendit
Flos fructus gratiam.
Jam impendit
Ros mundo pluviam
Dum ascendit
Surgens ad gloriam
Cum honore

7a. Regni Dei
Sceptrum, fons olei,
Sol diei,
Templum saphyrei,
Nostrae spei
Fac fructum provehi
Cum fervore.

7b. Jubilaei
Lex, anni rorei
Per te rei
Merentur revehi,
Sis lux rei,
Sis splendor fidei
Cum dulcore.

8a. Verni floris
Decor effloruit,
Nostris choris
Dulcor insonuit
Nostri plausus.

8b. Tu vas roris,
En sanguis patuit,
Veli poris
Haerens qui latuit
Velo clausus.

9a. Laus, lux, lex, laetitia,
Monstrant mirabilia
Virginalis veli.

9b. Vita, virtus, venia
Praestantur et praemia,
Vernat ara caeli.

10a. Mens devota
Promens vota
Vigilet,
Dulcis nota
Cantus nota
Jubilet
Matri Dei.

10b. Munda, lota
Vita tota
Rutilet,
Ne commota
Mens vel jota
Ventilet
Verae spei.

11a. Arca, sanctuarium,
Lex, templum, sacrarium,
Tunc velo velata,
Nunc sunt revelata.

11b. Flos, rosa, rosarium,
Virens viridarium
Sit velum, ornata
Virgine sacrata.

12a. Jesu prelum,
Sudor, ros sanguinis
Ornat velum
Mariae virginis
In Ruthena.

12b. Ergo zelum
Praesentis agminis
Duc ad caelum,
Virgo, vi flaminis,
Laude plena.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14343 anni 1351. — 1b, 5 miro more. — 2a, 5 victore. — 4b, 1 Hyma summis. — 6b, 4 mundi. — 7b, 5 reis sis. — Die Sequenz trägt in der Handschrift den Titel „De conceptione BMV. et de S. Anna sequentia“, womit indes der Inhalt nicht stimmt. Der französische Ursprung, den die Handhabung des Versmafses vermuten läfst, beweist 12a, 5.

82. De beata Maria V.

1a. O si mihi rhetorica,
Vis tota philosophica,

1b. Totus chorus Apollinis
Sic adspiret, ut virginis

2a. Digne promam praeconia,
Quae mater est et filia
Sui patris.

2b. Hic res certant contrariae,
Non obstat pudicitiae
Nomen matris.

3a. Hic ratio deluditur,
Hic argumentum fallitur,

3b. Dum mater non corrumpitur
Nec virgo partu laeditur.

4a. Naturae lex convertitur,
Vim majestatis patitur
Deificae;

4b. Qui vim naturae tribuit,
Hanc immutare potuit
Mirifice.

5a. Obstupescit
Mentium credulitas,
Sensualis
Deficit profunditas,

5b. Dum tumescit
Uterus, virginitas,
Maritalis
Ubi est fecunditas.

6a. O vere prae ceteris
Admiranda dignitas
Virginis, quae meruit
Gratiam divinitus.

6b. Ut naturae veteris
Solveretur finitas,
Virgo ventre tumuit
Impraegnata coelitus.

7a. O felix puerpera,
Singularis honoris,

7b. Cujus exstant viscera
Expertia doloris.

8a. In partu non corrumperis,
Post partum flore frueris
Virginei pudoris.

8b. Tu via viris invia,
Thori virilis nescia,
Es mater genitoris.

9a. Tu castitatis speculum,
Tu lilium candoris,
Virtutum receptaculum,
Tu balsamus odoris.

9b. Tu nardus aromatica,
Tu verbi Dei cella,
Tu stella non erratica,
Tu fluctuum procella.

10a. Tu florum flos,
Virtutum dos,
Tu scirpea fiscella
Propinans lac et mella.

10b. Tu noctis lux,
Caecorum dux,
Tu' claritatis stella.
Tu optima puella.

11a. Tu vas imbutum nectare
Virtutum, sine compare
Tu trinitatis templum.

11b. Tu aequitatis semita,
Humilitatis orbita,
Munditiae exemplum.

12a. Tu de stirpe Davidica
Ex Jacob stella orta,
Tu visio prophetica,
Ezechielis porta.

12b. Tu lilium convallium,
Tu spes desperatorum,
Humilium refugium,
Solamen miserorum.

13a. O Maria,
Tu virtutum regina.

13b. Vitae via,
Tu mortis medicina.

14a. Virga Jessea,
Tu vellus Gedeonis.

14b. Arens area,
Tu rubus visionis.

15a. Tu thurea,
Tu myrrhea,
Tu thronus Salomonis.

15b. Tu mellea,
Tu rosea,
Tu fons salvationis·

16a. Per te stat lex,
Te regum rex
Monilibus ornavit,
Ceu sponsam decoravit.

16b. Tu vitae pax,
Amoris fax,
Tu reconciliatrix,
Salutis reparatrix.

17a. Hoc carmen tibi offero,
O dulcis et decora,
Pro me peccante misero
Tu filium exora.

17b. Tu mihi fac propitium
Suprema mortis hora,
Tu mihi fer auxilium
Et veni sine mora,

18. O rutilans aurora.

Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacens. 716. Mit Mel. A. — Orat. ms. Augiense saec. 14/15. Cod. Karolsrhuan. Augiens. 36. B. — 1b, 2 Nunc adspiret B. — 2a, 3 Summi patris B. — 2b, 1 Hinc res B. — 3b, 1 Cum mater B. — 4a, 2 Et vim B. — 4b, 1 Cum vim B. — 5b, 2 uterus fehlt A. — 5b, 3 sq. fehlen B. — 6b, 1 veteris fehlt B. — 6b, 2 Salvaretur B. — 7a, 2 honore A. — 7b, 2 dolore A. — 8b, 3 salvatoris B. — 9b, 3 Tu stella fehlt B. — 11b, 1 Tu magistra aequitatis, Semita humilitatis, orbita etc. B. — Str. 16b steht vor 14a B. — 14a, 1 Jesse A. — 15b, 1 und 2 vertauscht B. — 17b, 1 Quem mihi fac B. — 18, 1 O rutilans fehlt B.

83. De beata Maria V.

1a. Salve, sanctarum
sanctissima,

1b. Ave, piarum
piissima,

2a. Stirps regia,
Vitae via,
Laus sanctorum,
Spes reorum,
.Virgo Maria.

2b. Tu solaris
Stella maris,
Clausus hortus,
Vitae partu,s
Plena gratia.

3a. Nam illa saeva
Mulier Eva,
Decipi digna
Fraude maligna,

3b. Jus subit mortis,
Abstulit sortis
Primae gaudia
Carens patria.

4a. Sed diram tulit mortem,
Primam reddidit sortem
Virgo Maria.

4b. Conceptu sacro suo
Miroque partu tuo,
Plena gratia.

5a. Namque regali
Ac prophetali
Stemmate orta
Vitae fit porta
Virgo Maria.

5b. Quae sine viro
Ordine miro
Genuit Deum
Hominem verum,
Plena gratia.

6a. Sed ut sol radio,
Sic suo filio
Virgo Maria

6b. Pulchrior videtur,
Castior habetur
Plena gratia.

7a. O qualis femina,
Cunctorum domina,

7b. Cunctorum domina
Spesque salvifica.

8a. Ergo tuorum
Vota servorum
Suscipe, pia
Virgo Maria,

8b. Dans prece pia
Data venia
Coelorum gaudia,
Plena gratia.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign.

84. De beata Maria V.

1a. Ave speciosissima
Virgo de stirpe regia,
Coelicolarum domina.

1b. Aveto fulgidissima
Christianorum domina.
Stella maris, o Maria.

2a. O quantis digna laudibus
Es virgo prae virginibus,

2b. Quae peperisti filium,
Spem et salutem omnium.

3a. Mater misericordiae,
Maria, vota suscipe
Famulantis ecclesiae.

3b. Dic sponso, dulcis domina,
Misearetur vinea,
Plantata Dei dextera.

4a. Parvulas vulpes capiat,
Captas vitare faciat,
Ausu ne malo floridas
Demoliantur vineas.

4b. Maria, virgo nobilis,
Mater inaestimabilis,
Sollicita precamine
Tuo lactatum ubere.

5a. In aurem nati loquere,
O decus pudicitiae,
Dilectum placa precibus,
Fer opem supplicibus.

5b. Fac, ut post hujus transitas
Mundi sollicitudines
Saltandi det fiduciam
In Jerusalem superna,

6. O dulcis et pia,
O Maria.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360 Cod. Capit. Pragens. s. sign. — 3b, 2 Ut miseretur. — 4a, 1 Parvulas ut vulpes. — Die Sequenz hat musikalisch doppeltes Finale, nämlich einerseits 5a, 4, andererseits 5b, 4 + 6.

85. De beata Maria V.

1a. Mundamini, mundamini
Laudantes matrem Domini,
Ut mundas mundae virgini
Laudes solvatis hodie.

1b. Honor sit summo numini
Ejusque soli nomini,
Quod praeparavit homini
Tantae matronam gratiae.

2a. Haec est illa mirabilis,
Illa incomparabilis,
Quae partus ineffabilis
Novitatem exhibuit.

2b. Haec est arbor perutilis,
Sublimi fructu fertilis,
Virgo, mater et humilis,
Quae coeli regem genuit.

3a. O vere nova novitas,
Humilitas et dignitas,
Fecunditas et castitas
Simul florent in virgine.

3b. O summe cara caritas,
Begnitas et veritas,
Humanitas et deitas
Manent in Deo homine.

4a. Per singularem filium,
O singulare lilium,
Ejecti in exsilium
Reducti sunt ad patriam.

4b. Tu es solamen cordium,
Nostrae pacis exordium,
Mundo praestans subsidium,
Salutem et laetitiam.

5a. Ave, felix puerpera,
Beata tua viscera,
Beata sunt et ubera,
Quae lactaverunt Dominum.

5b. Excelsa supra sidera,
Morbos nostros considera
Et sanare nos propera,
Praedulcis virgo virginum.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107 mit Mel.

86. De beata Maria V.

1a. Salve, stella, mundi lumen,
Salve, cella celans numen,
Salve, decus gloriae;

1b. Splendor rerum et cacumen,
Vas sincerum, pons et flumen
Aromatum gratiae.

2a. O coelestis figuli
Vas desiderabile,

2b. Vas medelae saeculi,
Vas decens, vas utile,

3a. O Maria, gratia
Plena sancti spiritus,

3b. Dux in via praevia,
Lux praefulgens coelitus.

4a. Tu jucunda res et recens,
Summe munda, summe decens,
Summi regis regia;

4b. Summum paris, summa parens,
Expers paris, summe parens,
Summe tu egregia.

5a. Tu lacuna documenti,
Sol et luna firmamenti
Opportuna, firma menti
Dux et lux laetitiae.

5b. Schola morum, mons odoris,
Fax amorum, fons dulcoris,
Decor florum, flos decoris,
Foedus amicitiae.

6a. O virtutis vis et vita,
Spes salutis, nos invita,
Ut tecum coeli thalamo
Fruamur dulci balsamo.

6b. Ros et rosa gloriosa,
Dulcis flagrans primula,
Mel et melos, pande caelos
Nobis prece sedula.

7a. Corda, linguas sic instaures,
Ut nos pingas et deaures
Honestatis moribus;

7b. Ut, qui damus tibi laudes,
Gaudeamus, ubi gaudes
Coeli cincta floribus.

Miss. ms. S. Dionysii. saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel. — Corde puro mente mundo, von der indes die Choräle 6 und 7 nur je einmal verwandt sind. — 4b, 3 Summe re egregia. — 8a, 2 pinguas.

87. De beata Maria V.

1a. Mellis stilla, maris stella,
Cujus dulcor vincit mella,
Cujus splendor sidera;

1b. Coeli scala, boni schola,
Profers solem, virgo, sola,
Virgo sed puerpera.

2a. Virgo parens expers paris,
Dum tu pares, Deum paris,
Sed veste sub altera;

2b. Paris patrem filia,
Quem claudentem omnia
Tua claudunt viscera.

3a. Patet indicio
Conversi nominis,
Cur sis, annuntio,
Praeclara feminis.

3b. Ex tuo gremio
Nascens fons luminis
Splendet in medio
Nostrae caliginis.

4a. Verbi conceptio
Nil habet criminis
Nec flore proprio
Vernare desinis.

4b. In te fit unio
Matris et virginis,
In tuo filio
Dei et hominis.

5a. Verus homo, verus Deus
Propter reos tamquam reus
Carne crucifigitur;

5b. Dum salvator condemnatur,
Ut mors jure moriatur,
Vita sponte moritur.

6a. Et videtur ratione,
Quod in isto sis agone
Plus passa quam filius;

6b. Suum corpus victimam
Dedit, tuam animam
Pertransivit gladius.

7a. Sed resurgens leo fortis
Aufert principatum mortis,
Refert praedam inferi;

7b. Plus compassa patienti,
Plus consurgis resurgenti
Quam sanctorum ceteri.

8a. Placa nobis, o beata,
Patrem, natum, parens, nata,
Carnis pro flagitio

8b. Ne mens ipsa flagelletur,
Sed in nobis iteretur
Christi resurrectio.

Miss. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. — Mel. = Hodierna lux diei mit Einschaltungen. — 7b, 1 Plus compensa.

88. De beata Maria V.

1a. Ave, maris stella,
Mellis coeli cella,
Praefulgens puella,
Coeleste sacrarium.

1b. Ave, vitae via,
Mundi lux, Maria,
Pura, prudens, pia,
Virtutum armarium.

2a. Tu mons justitiae,
Flos temperantiae,
Rivus prudentiae,
Turris fortitudinis.

2b. Tu radix veniae,
Pincerna gratiae,
Regina gloriae,
Flumen dulcedinis.

3a. Ave, vernans rosa,
Gemma spiritalis,
Cedrus gloriosa,
Palma triumphalis.

3b. Sponsa speciosa
Sponsi specialis,
Parens speciosa
Prolis principalis.

4a. Tu virga mystica
Virgo concipiens,
Virga fructifera
Virgo parturiens.

4b. Virgo melliflua
Lactans et nutriens.
Virgo perpetua
Post partum permanens.

5a. Tu mater optima,
Quae culpas operis,
Prece piissima
Succurrens miseris.

5b. Clavis clarissima,
Quae coelos aperis,
Post Deum maxima
Spes nostri generis.

6a. Felix, fecunda,
Munda, jucunda.
Mundans inunda,
Mundis augens gratiam

6b. Decens, decora,
Fulgens aurora,
Nobis implora
Verae lucis copiam.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel.

89. De beata Maria V.

1a. Salve virgo, mater Dei,
Per quam surgunt lapsi rei,
Salve virgo virginum;

1b. Salve, mater, vitae norma,
Mater speciosi forma
Prae filiis hominum.

2a. Salve, virgo, de beata
Stirpe Jesse virgo nata,
Rosa spinae nescia;

2b. Ut lilium inter spinas
Sic florescit in reginas
Virgo plena gratia.

3a. Salve, virgo, fons hortorum,
Quae nescisti viri thorum,
Nato praebens ubera;

3b. Patrem nescis facta mater,
Mater prolis, cujus pater
Matris nescit foedera.

4a. Tu puella sola prolem,
Sola paris stella solem
De Jacob egrediens;

4b. Tu figulum contra ritum
Concepisti, vas politum,
Vas laesuram nesciens.

5a. Tu es vellus fusum rore,
Rubus ignis in rubore,
Florens Jesse virgula;

5b. Tu es virga novo more
Fructum promens salvo flore,
Tu vatum oracula.

6a. Tu es rosa, cujus nodo
Latens fluxit miro modo
Palliata deitas;

6b. Rosa luce non marcescit,
Lux in rosa non decrescit,
Stat utrimque firmitas.

7a. Virgo, decus castitatis,
Per te nobis relegatis
Redditur haereditas;

7b. Tuo partu sumus parti,
Quos subjecit laevae parti
Primae matris pravitas.

8a. Jure partus te non laedit,
Cujus partum non praecedit
Carnalis fragilitas;

8b. Tuum partum lex naturae
Stupet suo fracto jure,
Dum parit virginitas.

9a. Salve, mater, stella maris,
Quae prae cunctis sublimaris
In coeli palatio;

9b. Tuos servos, virgo, serva,
Ne nos hostis fraus proterva
Demergat in vitio.

Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17329.

90. De beata Maria V.

1a. Ad laudem virginis,
Quam replet flaminis
Potentia,
Renovantur omnia,
Quae deitas patravit.

1b. Sub umbra numinis
Ad instar fluminis
Fit copia,
In qua redit gratia,
Quae saucia curavit.

2a. Rubus igne claruit
Nec comburi potuit,
In virgine
Sine viri semine
Fecunditas laudatur.

2b. Legis umbra pellitur
Et de manna gignitur
Vermiculus;
Infidelis populus
Ut hedera siccatur.

3a. Vellus rorem, virga florem
Jam concepit, quem excepit
Gedeonis conchula.

3b. Stella solem virgo prolem
Generavit, quam signavit
Prophetalis virgula.

4a. Novum Deus aethere
Miro facit opere:
Vir nascitur nec rumpitur
Virginea clausura,
Sic matrem virginem
Obstupuit natura.

4b. Caput anguis sternitur,
Sacro pede premitur,
Subigitur, conteritur
Ab humana factura;
Plaudamus liberi
De veteri jactura.

5a. Creatorem creatura
Veneretur
et serviat auctori;

5b. Deus homo regni domo
Pulsum pomo
restituit honori.

6a. Fons de petra proruit,
Latus agni patuit,
Rivus inde profluit,
Qui diluit
veneficum cruorem.

6b. Statua percutitur,
Sine manu caeditur
Lapis, mons efficitur,
Virginitas
hinc obtinet favorem.

Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17329. — 4b, 4 humani.

91. De beata Maria V.

1a. Salve, regina gloriae,
Maria, stella maris,
Solem paris justitiae,
Quae lunae compararis.

1b. Vitae dulcedo gratiae,
Fons atquae salutaris,
Mater misericordiae,
Tu portus appellaris.

2a. Summi regis palatium,
Thronus imperatoris,
Sponsi reclinatorium,
Tu sponsa creatoris.

2b. O pauperum solatium,
Remedium languoris,
Dignum Dei sacrarium,
Vas aeterni splendoris.

3a. O melle dulcior,
Auro splendidior,
Risu jucundior,
Amore carior.

3b. Nive candidior,
Rosa fragrantior,
Palma sublimior,
Saphyro pulchrior.

4a. Te laus harmonica,
Te vox prophetica,
Laudat et cantica,
Lex evangelica.

4b. Virgo Davidica,
Dei angelica,
Duc nos ad coelica
Regna, spes unica.

Cod. Parisiens. 1343. saec. 14. Mit Mel. — Vergl. die Bemerkung Anal. hymn. VIII, p. 11.

92. De beata Maria V.

1a. Salve, mater, coeli porta,
Virgo florens et exorta
David ex prosapia;

1b. Ave, virgo, fructu plena,
Ave, fulgens et serena,
Mater es et filia.

2a. Ave, virgo, prole laeta,
Ave, gaudens et repleta
Deitatis gratia;

2b. Ave, virgo, stirpe florens,
Ave, mater Christi, potens
In coelesti curia.

3a. Ave, mater sed intacta,
Ave, cujus non est facta
Homini societas;

3b. Ave, quam non violavit,
Ave, quam non dissipavit
Hominis societas.

4a. O Maria, stella clara,
Quam non turbat res amara,
Omni plena gratia;

4b. O Maria, nos poscentes
Fac admitti congaudentes
In coelesti gloria.

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592.

93. De beata Maria V.

1a. Mundi restauratio
Fit ex mira gratia,
Stupet mentis ratio:
Virgo dulcis Maria
E coelo salutatur
Et verbo fecundatur;
Quis persentit talia?

1b. Conceptus mirabilis
Naturae contrarius,
Est partus laudabilis,
Quid hoc festo sanctius?
Aaron virga fronduit
Nec radicata fuit,
Quid hoc fructu dulcius?

2a. Natus mirabiliter
Contra naturalia
Surrexit agiliter
Et cum eo agmina
Surrexerunt pariter
Sanctorum coelestia
Gaude, virgo Maria.

2b. Nos a malis surgere
Ad suprema erigi,
Sursum quae sunt, sapere,
Ad virtutes dirigi,
Postules a filio
Nobis hoc exsilio,
Rosa juncta lilio.

3a. Securam monstra viam.
Ad coelestem patriam
Quae ducit, hanc resera,
Quam Eva praecluserat.

3b. Ne maligni aemuli
Illam et latrunculi
Praecludant, quam mors tui
Nati reseraverat.

Miss. ms. S. Floriani XI 391. saec. 14. A. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. bibl. publ. V 1 A 11. B. — Miss. ms. Salisburgense anni 1490. Cod. Palat. Vindobonens. 1778. C. — Miss. ms. Graecense 109. saec. 15. D. — 1a, 1 reparatio A. — 1a, 5 Coelo salutatur B. — 1a, 6 Et virgo B. — 1a, 7 persensit AC. — 1b, 7 Quid hoc fetu A. — 2a, 3 Sed rexit agiliter BC. — 2b, 2 erigere B. — 2b, 6 Pro nobis B. — 3b, 1 Te maligni B. — Mel. = Mundi renovatio, die deutsche Singweise.

94. De beata Maria V.

1a. Consolatrix miserorum,
Relevatrix infirmorum,
Audi, clemens domina;

1b. Tu spes sola peccatorum,
Orta stella, lux caecorum,
Ducum frangens agmina.

2a. Maria dignior
In Dei curia,
In donis potior,
Paris es nescia,
Tu sol splendidior
Coelorum gloria.

2b. Proclives flectimur
Statim ad vitia,
In pugna vincimur
Hostium varia,
Heu, mater, morimur,
Adde remedia.

3a. Cunctis bonis te ditavit,
Hortum tuum dum perflavit,
Auster invisibilis;

3b. Sic se terris irroravit
Deus ex te, quam creavit,
Natus ineffabilis.

4a. Tu fons indeficiens
Aridos reficiens,
Mens est post te sitiens
Lac et mel fluentem.

4b. Nam corpus inficiens,
Behemot decipiens,
Mundus et deficiens
Circum premunt mentem.

5a. Tu pauperum praedium,
Convallis humilium,
Hortus es castorum;

5b. Arx es poenitentium,
Castrum militantium,
Turris es victorum.

6a. Tu piscina suavitatis,
Humanatae deitatis
Dulcis torrens aureus;

6b. Paradisus voluptatis,
Universae bonitatis
Fons, rivulus, alveus.

7a. Arca sacra foederis
Et humani generis
Pia mediatrix,

7b. Expiatrix sceleris
Et divini muneris
Larga dispensatrix.

8a. O dulce consilium,
Largum beneficium,
Novum privilegium,
Virgo gravidatur.

8b. O magnum mysterium,
O mirum commercium,
O pium connubium,
Verbum incarnatur.

9a. Rex in coelis rutilans
Jacet in praesepio,
Miseros assimilans
Vagit matris gremio,
Gaudens, homo, plora.

9b. Agnosce puerulum,
Amplectere socium,
Virgo, lactans parvulum
Injuriae nescium
Pro fratribus ora.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisiens. 1339. Mit Mel.

95. De beata Maria V.

1a. Exsul, surge, jam est hora,
Patriae vitam explora,
Ecce rutilat aurora
Nova novae gratiae.

1b. Nova pigmentorum cella
Nova nobis pluit mella,
Orta est ex Jacob stella,
Cedit nox miseriae.

2a. Dum in mari fluctuamus,
Per hanc stellam dirigamus
Cursum, ut sic attingamus
Verae portum patriae.

2b. Nostra venit advocata
A patrono vero data,
Ut pro reis leges grata
Alleget clementiae.

3a. Haec verae lucis alumna,
Nubes et ignis columna
Lucet, quibus est aerumna
Lutum, later, palea.

3b. Virga de radice Jesse,
Rege reos indefesse
Et duc nos ad verum esse
Ab hac mortis fovea.

Prosar. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisiens. 1339. Mit eigener Mel.

96. De beata Maria V.

1a. Virgo mater, gratulare,
Digna Deum generare,
Fac nos digne te laudare,
Astra, solum, mare
tibi desiderant jubilare.

1b. Stirpe regis propagata,
Dei mater illibata,
Nostra clemens advocata,
Per te via data,
per te salus est reparata.

2a. Speciosa coeli porta,
Per quam justis lux est orta,
Tuae laudi nos conforta,
Corrige distorta,
bona perdita praesto reporta.

2b. Christi mater benedicta,
Vero sole stans amicta,
Nostra tolli fac delicta,
Solvans inflicta,
miseris medicina relicta.

3a. De supernis auster flavit,
Qui dum tibi obumbravit
Ac te virgo fecundavit
Quos sua plasmavit
manus hos lapsos reparavit.

3b. O mirande coelibatus,
Ex te Deus incarnatus
Est pro nobis immolatus,
In cruce damnatus
ob nostri damna reatus.

4a. Infirmorum consolatrix,
Captivorum liberatrix,
perditorum reparatrix,
Mundi salvatrix,
animarum summa beatrix.

4b. Resurgentem tuum natum
Super coelos elevatum
Ita nobis fac placatum,
Ut per pneuma datum
dimittat quemque reatum.

5a. Jam in regno sublimaris,
Nati vultum contemplaris,
Ut regina coronaris,
Nescia quippe paris
prope regem digna locaris.

5b. De torrente, voluptatis,
Quo potaris cum beatis,
Prece tuae pietatis
Participes gratis
faciat nos fons bonitatis.

Sequent. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonens. 4977. A. — Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacens. 716. B. — Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacens. 7815. C. — 2b, 2 stas B. — 3a, 2 dum fehlt C. — 3a, 4 sq. Quos sua bonitas plasmavit reparavit dum serpentis caput in te stravit. C. — 3b. 2 Ex te fehlt C. — 3b, 5 nostra C. — 4a, 4 Desperatorum salvatrix C. — 4a, 5 summa liberatrix C. — 5b, 1 Nectarem voluptatis C.

97. De beata Maria V.

1a. Flos de spina procreatur,
Et flos flore fecundatur
Fructum vitae proferens;

1b. Inter spinas rosa crescit,
Sed spineti dolum nescit
Flos prae cunctis redolens.

2a. Haec est Evae de radice
Virga nata peccatrice
Primo carens vitio,

2b. Haec radicis noxam gerit,
Sed in illa noxa perit
Fecundata filio.

3a. Haec est rosa delicata,
Quae de regum ramis nata
Nobis fert umbraculum,

3b. Paranympho salutata,
Pneumateque impraegnata,
Christi tabernaculum.

4a. Ave virgo gravidata,
Rubo Moysi signata,
Genitrix verbigenae;

4b. Igne sacro inflammata,
Per te simus, advocata,
Coelici indigenae.

5a. Tu es mater Salomonis,
Digna sceptris et coronis,
O regina gloriae;

5b. Tu es vivus fons hortorum,
Quem mens sitit infirmorum,
O pincerna veniae.

6a. O praeclara stella maris,
Qua processit lux solaris.
His intende precibus;

7a. Salve, virgo singularis,
Tu quae digne dominaris
In supremo solio;

8a. Gaude, cujus ob dulcorum
Cor liquescit per amorem
Tuum, vernans lilium;

9a. Vale, florens et amoena,
Ante ortum luce plena,
Puritatis viola;

10a. Vale semper et laetare
Et quod digne te laudare
Possimus in patria,

6b. Quae per montem designaris,
Unde lapis angularis
Venit sine manibus.

7b. Dona regis pretiosa
Impertire, gratiosa.
Nobis in exsilio.

8b. Auro fulvo decorata,
Messiam es amplexata,
Summi Dei filium.

9b. Vale virga aridosa,
Fronde, flore germinosa,
Proferens amygdala.

10b. Dulcis virgo, te rogamus,
Et sincere flagitamus
Pro coelesti gloria.

Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. A. — Cod. Pragens. VI C 20 saec. 16. B. — Mit Mel. AB.

98. De beata Maria V.

1a. O beata beatorum
Angelorum domina,
O devote devotorum
Laudanda per carmina.

2a. Fide voto, corde toto,
Te precamur pariter,
Ut invicti a delicti
Labe simus jugiter.

3a. Nobis datum ex te natum
Placa verbo filium,
Ne ruamus, ne perdamus
Beatorum praemium.

4a. Fac nos omnes cohaeredes
Christo in coelestibus,
Apud ipsum sint mercedes
Tibi servientibus.

1b. O Maria, mater pia,
Dita nos virtutibus,
Ut frequenter te decenter
Veneremur laudibus.

2b. Carcerati Evae nati
Durae ure vincula
Igne divo, agni rivo
Lava prava singula.

3b. Sed cum mundi gemebundi
Desinit exsilium,
Eruamur, nanciscamur
Sanctorum consortia.

4b. Rege nos, ut transeamus
Mundi transitoria,
Ut perenni valeamus
Tecum frui gloria.

Miss. ms. Altovadense LXXXI saec. 15. A. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 134. saec. 14. in. B. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2. anni 1438. C. — Die Mel. bezeichnet 1a, 1.

99. De beata Maria V.

1a. Ave regis binae legis
Thronus candens ebore,
Fortis Judith, quae confudit
Holofernem robore.

2a. More miro sine viro
Generans carbunculum,
Ut saphirus pellis virus
Omnem laedens saeculum.

3a. Ave, suave, felix ave,
Per quod plena gratia
Jam conclave jugum grave
Tulit ab ecclesia.

4a. Preces offer atque profer
Castis cum uberibus
Nato pectus, ut illectus
Sacris tuis precibus

5a. Ave porta coeli, torta
Nece tui filii,
Maris stella, de procella
Transfer nos exsilii.

1b. O insigne decus digne
Spiritu cum corpore,
Virga Jesse coeli messe
Floret sine tempore.

2b. O benigna, laude digna,
Puritatis speculum,
Dei templum, per exemplum
Omnem docens populum.

3b. O sagena, vitae vena,
Caritatis fascia,
Trahens unum fers in unum
Ima, summa, media.

4b. Cicatrices jam felices
Patri pro viantibus
Repraesentet et intentet
Vota pro supplicibus.

5b. Coram rege sta pro grege,
Ne massam flagitii
Nostri taxet sed relaxet
Ruinam judicii.

Grad. ms. Nerissaniense anni 1511. Clm. Monacens. 27020.

100. De beata Maria V.

1a. O augusta generosa,
Virgo stirpe regiosa,
Pietate gratiosa,
Nostra solvens vincula;

2a. O beata, Deo grata,
O serena, Deo plena,
Nostris votis annue,

3a. Nos ingratos fac beatos
Tua, virgo, gratia
Et iratum tuum natum
Nobis reconcilia.

4a. Tu es virgo aetherea
Vivam vitem parturiens,
Urna diceris aurea
Voce manna suscipiens.

1b. O Maria pretiosa,
Toti mundo nominosa
Et odore narduosa
Sine carnis macula.

2b. Ne nos tangat atque frangat
Hostis ictus et conflictus,
Nos a malis erue.

3b. Veni, gemma, veni, rosa,
Veni, dulcis Maria,
Non fac moras, virgo dia,
Vitae ob stipendia.

4b. Tu es columna gemmea
Decori mundi praevalens,
Cui basis est aurea,
Virtutes omnes retinens.

5a. Ave, rosa luminosa,
Paradisus tam frondosa
In te primum eliquatur
Fons, qui nunquam minoratur
Et te primam inebriat.

5b. Per te cunctis derivatur
Et devotis propinatur,
Sed et nobis inde datur,
Dum mens pie delectatur,
Ut fontem vitae sitiat.

6a. O coelestis margarita,
In sublimi throno sita,
Per te reis detur vita,
Nostris fulge cordibus.

6b. Ut fulgore tuo tacti
Gratiamque eo nacti,
Juncti simus et compacti
Paradisi civibus.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 81. saec. 15.

III.

DE SANCTIS.

101. De sancto Achatio.

1a. Psallat omnis regio,
Dacantet cum gaudio
Martyrum solemnia.

1b. Celebremus hodie.
Nunc dies est veniae.
Dies est laetissima.

2a. In qua sancti martyres
Crucifixi sunt omnes
Fere decem millia.

2b. Qui pugnantes hodie
Propter lumen patriae
Mente invictissima.

3a. A maligno judice
Sunt perplexi vindice
Propter regem gloriae.

3b. Caesar nequam timuit,
Signa magna ut vidit
A Christi militibus.

4a. Carcerati sunt beati
Ad omnem poenam parati.
Quae Christo illata est.

4b. Seniores advenerunt.
Adriano et dixerunt.
Quaeque cogitaverunt.

5a. Caesar in cathedra sedit,
Praesentari sibi fecit
Exercitum militiae,

5b. Dicens: stulti, insensati.
Immoletis, ut vivatis.
Deo nostro Astaroth.

6a. Tunc respondens Hermolaus:
Summo Deo offerimus
Immaculatam hostiam.

6b. Jubet ergo Adrianus.
Ut os ejus contundatur
Silice durissimo.

7a. Jubet illos spoliari,
Caedi, spinis coronari
Ac indui purpura.

7b. Sindone sunt hinc signati,
Crucifixi et potati
Potu amarissimo.

8a. Salve, pie Jesu Christe,
Infans castae virginis,
Tua prece nos a nece
Aeternali libera.

8b. Nos commenda tuo patri,
Jesu, pastor inclite.
Ut regnemus nos invicti
Tecum super sidera.

Miss. ms. Altovadense LXXVI saec. 15. A. — Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. C. — Miss. ms. Tiechobucense saec. 14. Cod. Pragens. XIV B 17. D. — Miss. ms. Cotěschaviense saec. 14. Cod. Pragens. XIV C 13. E. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. F. — 6a, 1 Tunc ridens A. — 6a, 2 offeramus E. — Str. 7 fehlt A.

102. De sancto Achatio.

1a. Laetetur ecclesia
Fundendo praeconia
Sponsa sponso optimo,
Jesu bono.

1b. Qui sua clementia
Ex consueta gratia
Diem istum extulit
Laudum dono.

2a. Sane dies gloriae
Dies hic laetitiae
Qua coelesti curiae
Luxit honor.

2b. Haec dies Achatium
Ducem peregregium
Traxit ad martyrium
Vivus odor.

3a. Cum quo decem milia
Sufferunt supplicia.
Ut jubet saevitia
Adriani.

3b. Quem dum possent vincere.
Inermes incedere
Seque poenae subdere
Non inani.

4a. Sanctus monet angelus:
Dictis parent ocius.
Caesar saevit saevius
Plenus ira.

4b. Hos a suis separat,
Eductos in Ararath
Crucifigi imperat.
O res mira.

5a. Fiunt signa omnia
Velut in hac feria,
Qua in ligno moritur
Mundi vita.

5b. Christe portans scelera,
Da in mundi vespera
Esse nostra opera
Sic polita.

Miss. ms. Vissegradense VCζ saec. 15. A. — Miss. ms. Zwethalense 229 saec. 14. B. — Miss. ms. Claustroneoburgense 960 saec. 15. C. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Clm. Monacens. 1579. D. — Miss. ms. Pataviense saec. 15. Clm. Monacens. 11046. E. — 1b, 1 Qui summa clementia BC. — 2a, 1 Mane dies B: Salve dies AC. — 2a, 2 dies haec AC. — 3a, 3 jubet sententia AB. — 5a, 2 Velut in hoc sunt facta A. — Nach Str. 5 hat B noch folgende Interpolation:

Ut hos sanctos venerantes,
In laudibus exsultantes
Cum eis in gloria
Virtutibus [ex]ornati,
Sceleribus emundati
Clamemus cum laetitia:
Salve, pie Jesu Christe,
Infans castae virginis,
Tua prece nos a nece
Aeternali libera.
Nos commenda tuo patri,
Jesu, pastor inclite,
Ut regnemus nos invicti
Tecum super sidera
Per saeculorum saecula.

103. De sancto Achatio.

1a. Ad honorem invictorum
Athletarum, qui coelorum
Sunt adepti gaudia,

1b. Omnis sexus. omnis aetas,
Stadiales currens metas
Surgat in laetitia,

2a. Tuba vocis buccinando
Et devote celebrando
Martyrum solemnia,

2b. Qui sic mundum contempserunt,
Quod se Deo obtulerunt
Juncta dena milia.

3a. Quorum dux et principator,
Legis sacrae propagator,
Exstitit Achatius,

3b. Quibus iter veritatis
Simulacris exsecratis
Monstravit sagacius.

4a. Hermolai documento
Simul hi se vestimento
Rubricato induunt,

4b. Cum praeceptis obedire
Ac promissis assentire
Regis saevi respuunt.

5a. Hinc tyrannus Adrianus,
Idolorum cultor vanus,
Adunata acie

5b. Jubet omnes praesentari
Et in ejus collocari
Judicandos facie.

6a. Mox ut sensit Christianos
Illos esse ceu vesanos
Sprevit plenus furia.

6b. Mandat flagris hos affligi
Crucibusque post affigi
Crudeli sententia.

7a. Sicque de Edom venerunt,
Dum torcular calcaverunt
Pede tincto sanguine,

7b. Atque cruce bajulata
Phalanx ista Deo grata
Pari fit certamine.

8a. Nunc, Achati generose,
Triumphasti qui famose
De malignis hostibus.

8b. Christum nobis fac placatum,
Nostrum tergat ut reatum
Adjunctis consortibus.

9a. Quorum prece consequamur,
Ut divinae perfruamur
Visionis gratia.

9b. Ubi dies luminosa,
Ubi quies gaudiosa,
Ubi pax et gloria.

Miss. ms. Superioris Altae anni 1493. Clm. Monac. 9743 A. — Miss. ms. Superioris Altae saec. 15. Clm. Monacens. 9744. B. — Miss. ms. Hilariense saec. 15. C. — Miss. ms. S. Floriani XI. 389 saec. 14. D. — 3a. 1 Horum DC. — 8a, 1 Tunc Achati D.

104. De sancto Achatio.

1a. Gratulemur
Hoc in die sacro canentes
Alleluja.

1b. Adrianus
Milia martyrum decem
Crucifixit.

2a. Terrae motus factus est,
Quorum sunt in transitu
Petrae scissae;

2b. Et sol obscuratus est
Hora sunt et tenebrae
Sexta factae.

3a. Tunc hi sancti martyres
Christo sui memores
Commendarunt.

3b. Exclamantes: Domine,
Nostras preces suscipe
Pro devotis;

4a. Sanitatem corporum,
Ubertatem domuum
Tribuendo,

4b. Medicamen animae
Et coelestis patriae
Consolamen.

5a. Et si sint in proeliis,
Innocens visibilis
Sit ac invisibilis
Inimicus.

5b. Diei jejunium
Nostrae mortis unicum
Claudat anni circulum
Poenitenti.

6a. Vox coeli sonuit,
Devictis intulit:
Vobis data sunt
haec omnia.

6b. Committunt spiritum
Da, Christe, coelitum
Nobis consequi
consortium.

Miss. ms. S. Blasii anni 1491. Cod. S. Pauli ad Laventum ex Sanblasian. memb. 64. — Mel. jedenfalls: Laetabundus. — 5a, 1 Etsi sint proelia Hs. — 5a, 2 Innocens — Non nocens. — 5a, 3 atque Hs. — 6a 2 1: Dilectis?

105. De sancto Achatio.

1a. Catervatim augmentatur
Felix cohors et laetatur
In coelesti curia,

1b. Cum movebat Adrianum,
Imperatorem Romanum,
Infernalis furia

2a. In sanctum Achatium
Spernentem palatium
Et libare idolis,

2b. Incarnatum amantem
Verbum et recitantem
Cum suis sociolis.

3a. Hinc tyrannus hos precatur,
Minis terret, si spernatur
Ipsius et jussio,

3b. Servi Christi vilipendunt
Blandimentum nec attendunt.
Hos nec movit laesio.

4a. Regis saevitia
Christi supplicia
Perfrui imperat

4b. Horum corporibus,
Diris tortoribus
Illos commiserat.

5a. Necantur decem milia
Cum Christi passionibus,
Tetatur mons Armenia
Heu sanguinis in fluctibus.

5b. Pari ritu exiguntur
Cum Christo radiunculi
Isti, quia non dicuntur
Idolorum conservuli.

6a. Nempe superficies
Cruore contegitur,
Lancearum acies
Dum in hos configitur.

6b. Tellus inebriatur
Poculis sanguineis,
Hierarchia lactatur
Talibus contineis.

7a. Spretis corporibus
Ordinant animae
Christi se manibus
Et curant minime
Tortorum vilia.

7b. Per hos fatigantur
Turbae carnificum,
Qui, dum numerantur,
Hunc implent numerum
Triginta milia.

8a. Hermolao antistite,
Quo lavantur baptismate,
Cum illis agonizante
Pari voce et clamante
Ad factorem omnium:

8b. Heli, qui nos veneratus
Est, illi nostri precatus
Prosint in necessitatis
Hora et calamitatis,
Abrogent exitium.

9a. O felix Armenia,
In cujus provincia
Barbarorum rabies

9b. Clavo, flagris, lancea,
Sente judeifera
Cruentavit acies.

10a. Hac in parte terrae motus,
Sol obscurus est commotus,
Et alia miracula
Ostendit diecula,

10b. Qua perculit verbigena,
Qui lavit nostra crimina
Cum prece horum sedula
Per saeculorum saecula.

Grad. ms. Lucense anni 1499. Cod. bibl. publ. Olomucens. II I 1. — Mel.: Virginalis turma sexus. — 9b, 1 sq. Clavos, flagra, lanceas | Sentes judeiferas Hs. — Str. 10 zeichnet sich durch eine allerdings sehr weit getriebene Brachylogie aus. — 10b, 1 pertulit Hs.

106. De sancto Adalberto.

1a. O praeclara Adalberti
Praesulis solemnia,

1b. Hac in die ejus pie
Agitur memoria.

2a. Praesul iste per te, Christe,
Nascitur de regia

2b. Stirpe digna et benigna
Regis de Bohemia.

3a. Hic peccata indurata
Cernens Romam petiit,

3b. Ibi statim monachatum
Poenitendo subiit.

4a. Sed a totis patriotis
Una voce poscitur.

4b. Obedire et servire
Ei dum promittitur.

5a. Sed nil veri, sicut heri,
Sic refutant praesulem,
Boleslaum adit pium
Polonorum principem.

5b. Illic clerum ornat verum
Et fundat ecclesias,
Hinc Prutenis verbis lenis
Serit Christi gratias.

6a. Hinc per visum huic provisum
Christi bibit calicem.

6b. Lanceatus hic beatus
Coeli petit apicem.

7a. Nunc Poloni de patroni
Tanti psallant gloria,

7b. Hos in throno cum patrono
Christi jungat gratia.

Sequent. ms. cum commento saec. 15. Cod Pragens. X G 18. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 213 saec. 15. B. — 3a, 2 Romam adiit A. — 3b, 1 statum A. — 4a, 1 Hinc a totis. — 5a, 4 Gentis Slavae principem B. — 5b, 2 Hic Pruthenis A. — 6a, 1 Hic per visum. — 7a. 1 Nunc Bohemi A. — 7b fehlt B.

107. De sancto Adalberto.

1a. Laudes dicat omnis aetas
Deo patri semper laetas
Cum dulci symphonia,

1b. Simul quoque Jesu Christo,
Qui est salus mundo isto
Dans grata subsidia.

2a. Qui elegit Adalbertum,
Ut de spinis bonum fructum
In terra Bohemia.

2b. Dum hic puer it de scholis,
Ut radius fulgens solis,
Plenus Dei gratia,

3a. Virgo transit viam ibi,
Quae mox stratur tenta sibi
Scolari insania,

3b. Tacta veste virginali
Puer plangit voce tali:
Commisi mortalia.

4a. Dum fit ipse episcopus,
Dicit ei Jesus Christus
Verba voce talia:

4b. O mi praesul, dormis tantum,
Judaeis venditus quantum
Ego fero qualia.

5a. Plangens pastor Romam vadit,
Summo coram patre cadit
Gregis narrans vitia,

5b. Resignata gregis cura
Intrat claustrum, pati dura
Cum magna laetitia.

6a. Plebs patrem rogat redire,
Sibi nolens obedire
Obcaecata miseria,

6b. Stupens gregis miseriam,
Declinat in Hungariam
Praedicans coelestia.

7a. Ad Polonos inde vadit,
Volentibus illis tradit
Dona spiritalia,

7b. Hinc Prussiae intrans partes
Damnat dicens surdas artes
Haec sunt infernalia.

8a. Viam recusans salutis
Genibus sanctum provolutis
Gens occidit impia,

8b. Sanctum corpus dum portatur.
Salus aegris restauratur,
Fit magna laetitia.

9a. Unde gaudet Bohemia,
Ejus colens solemnia
Ut festa paschalia;

9b. Sit laus patri et filio,
Sancto simul paraclito
In aevum. Alleluja.

Miss. ms. Pragense XIV B 8 saec. 15. A. — Miss. ms. Pragense I D 3 saec. 15. B. — 2a, 2 fructum novum A.

108. De sancto Aegidio.

1a. Gloriare, Graecia,
Tuum enim Bohemia
Veneratur filium;

1b. Militans ecclesia
Cum tota coeli curia
Commendat Aegidium.

2a. Dono sancti spiritus
Mundo puer genitus
Diffundebat gratia,

2b. Felix et gratuitus
Ingressus et exitus
Migrantis in gloria.

3a. Data veste pueri
Salus reddit pauperi,
Qui vestem induerat;

3b. Indumentis uteri
Pellit virus funeri
Jam vitium liberat.

4a. Mundum totum exuit,
Fugit, cellam construit
In condensis veprium.

4b. Cerva sanctum aluit.
Cervam sanctus eruit
A caede venantium.

5a. Revelavit Dominus
Huic Karoli facinus
In missae mysterio,

5b. Refert regi protinus,
Cessat ejus gemitus
Poena cum flagitio.

6a. Servos, pater, visita,
Quos vita praeterita
Gravat mole criminum.

6b. Per beata merita
Nostra solvi debita
Procures ad Dominum.

Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Altovadense 119 saec. 15. B. — Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. C. — Mel.: Veni sancte spiritus C. — 6a, 1 Sed nos pater C. — 6a, 3 Gravatur A. — 6b, 2 Nostra solvit ABC.

109. De sancto Aegidio.

1. Psallat laude competenti
Chorus viro sapienti
Condigna praeconia.

2a. Supra petram qui fundavit
Domum suam et firmavit
Fidei constantia,

2b. Quam nec hostis subintravit
Nec flans tectum violavit
Mundana lascivia.

3a. O quam decens tabernaculum
Quod sol verus luci speculum
Luce replens optima,

3b. Sancti spiritus aediticium
Sanctum effecit Aegidium
Colens cordis intima.

4a. Intus cultor non latuit,
Virtutibus sed patuit
Se monstrans deifice.

4b. Annis namque sub teneris
Puer adjunctus litteris
Profecit immodice.

5a. Illo scholas repetente
Quidam laesus a serpente
Totus tumens cernitur,

5b. Cui, quid det, non habente
Tunicam dat, qua repente
Tectus sanus redditur.

6a. Vir arreptus a daemonio
Sancti viri patrocinio
Menti sanae redditur.

6b. Expectato fine patrio
Christo dato patrimonio
Egenus progreditur.

7a. Dum maris litus adiit,
Navim videre contigit
In mortis periculo,

7b. Pro qua dum Christum petiit,
Navis mox litus adiit
Salvata cum populo.

8a. Plebs gratanter adoravit
Et in navi collocavit
Sanctum sine pretio,

8b. Et quos multo pererravit,
Mox eosdem comparavit
Fluctus brevi spatio.

9a. Theodorae desperatam
Sanitati reddit natam
Receptus hospitio,

9b. Terram fame desolatam
Farre facit oneratam
Junctus Veredemio

10a. Post oblatum a populo
Defunctum reddit saeculo
Hoc adscribens socio,

10b. In deserti latibulo
Lacte pascitur sedulo
Cervae beneficio

11a. Pro nutrice vulneratur
Et per vulnus vir vocatur
Et a rege supplicatur
Ejus patrocinio.

11b. Crimen regis revelatur,
Ut sit abbas exoratur.
Illic claustrum exornatur
Et fit congregatio.

12a. Romam venit advocatus.
Cypressino muneratus
Inde reddit ostio.

12b. Quod aquarum per meatus
Mox ventorum regens flatus
Appulit coenobio.

13a. Post tanta beneficia
Migravit ad coelestia
Sancto cum tripudio.

13b. Ubi Christus per omnia
Cum sanctis est in gloria
Et perenni gaudio.

14. Nos colentes praesentia
Sancti viri solemnia
Decantemus alleluja.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1363 Cod. Capit. Pragens. s. sign. A. — Miss. ms. Altovadense LXXVII saec. 15. B. — Miss. ms. Strahoviense s. sign. saec. 15. C. — Miss. ms. Tiechobucense saec. 14. Cod. Pragens. XIV B 17. D. — 2b, 2 tectum perforavit A. — 4a, 2 non patuit A. — 6a, 1 arreptus daemonio C. — 6b, 2 patrocinio C. — 8b, 2 Mox fehlt C. — 8b, 3 Fructus B. — 9b, 3 Junctus veredentio A; vinctus ferredentio B. — 11b, 3 Illuc A. — 12b, 3 Attulit B.

110. De sancto Aegidio.

1a. Sonent hymni Deo digni
In hac die tam insigni
Clangore tubae ductilis,

1b. Ad haec festa patris tanti
Voce psallat incessanti
Tam plebs quam clerus humilis.

2a. Nam quid erit tam praeclarum,
Quam ob virum Deo carum
Laudes sonare gaudii,

2b. Cum applaudit triumphalis
Lux non mortis sed natalis
Sancti patris Aegidii.

3a. Tibi honor, Jesu Christe,
Quo patrante sanctus iste
Tanta pollebat gratia,

3b. Ut infirmi sanarentur
Et leprosi mundarentur
Per ipsius suffragia.

4a. Sanat hunc, quem serpens laedit,
Solo daemon jussu cedit,
Suum timens imperium;

4b. Aegris salus restauratur,
Mare tumens tranquillatur,
Aestus quiescit febrium.

5a. Gressu claudus stabilitur,
Dum insigni insignitur
Fidus Christi vernaculus;

5b. In desertum solus fugit
Et mamillas cervae sugit
Ceu naturalis hinnulus,

6a. Diu montis in speleo
Latens soli vacans Deo,
Sed inde multum doluit,

6b. Ibi pie diffamatur,
Per hunc noxa relaxatur,
Quam rex abscondi voluit.

7a. Virtus mira nihil mali
Sub patrono potest tali
Quemquam suorum laedere;

7b. Sidus dulce confessorum,
Tua prece nos justorum
Fac consortes in aethere.

Miss. ms. Montis Pannoniae saec. 12. „Cod. Pray“ Musaei Hungarici add. saec. 13. A. — Miss. ms. Mellicense 1037 saec. 14. B. — Miss. ms. Mellicense 987 saec. 15. C. — Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacens. 3311. D. — 2a, 1 Jam quid D. — 2a, 3 bis 2b, 2 incl. fehlen A. — 2a, 3 gaudiis C. — 4a, 1 Sanatumque A. — 4a, 3 Suum mittens BC. — 4b, 1 Egenis salus D. — 5a, 3 Christi fidus D. — Str. 6a, 6b, 7a fehlen A. — 7a, 2 prodest tali D. — 7b, 3 consortes inhaerere D.

111. De sancta Agatha.

1a. Exultemus, gaudeamus
concordi laetitia,

1b. Victor sponsus collaudetur
in sponsae victoria.

2a. Cujus cruce nova luce
mundi nitent climata,

2b. Cujus dono de maligno
triumphavit Agatha.

3a. Aevo recens, vultu decens
nitet pudicitia,

3b. Expers sordis et immunis
ab omni spurcitia.

4a. O quam beata,
cui fuit in agone
virtus Christi socia.

4b. Per quam triumphans
ad coelorum sublimatur
excelsa fastigia.

5a. Erat in ejus animo
stabilis constantia,

5b. Et adversa sufferrebat
multa patientia.

6a. Furit in ejus corpore
iudicis insania.

6b. Tamen in tormentis levatur Christi clementia.

7a. Deos spernit et eorum
Ridet et sacrificia,
Saevitiam impiorum
Mente calcat non soluta.

7b. Mammam tradit in tormentis,
Dat maxillam et alapis
Et corporis spernens poenas,
Fide vincit omnes una.

8a. O beata quam ad portum
Tam ad lucis ducit partum
Christus in custodia.

8b. Carcer micat nova luce
Et curatur Christo duce
In Petri praesentia.

9a. Dum oraret nec in vanum,
Ecce quidam profert manum
Ad ejus praesidia,

9b. Statim salus datur grata,
Cedunt umbrae luce data,
Mentem mutant gaudia.

10a. Ex ipsius tumba manat
Sanitatis copia,

10b. Quae furentes rogos sedat
Per ejus suffragia.

11a. Nos qui sumus in hac calle,
Lacrimarum in convalle,
Perpessi naufragia.

11b. Gloriosa sponsa Christi,
Quae jam sponso placuisti,
Duc ad pacis gaudia.

12a. Ipsa nobis mansionem
Impetres a Domino
Prece pia.

12b. Ad quam ducas omnes pie
Post mortis excidium
Vitae via.

13a. Tuum festum celebrantes
Gaudeant per saecula,

13b. Ut coronet eos Christus
Post vitae curricula.

14. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. — Mel.: Congaudentes exsultemus.

112. De sancta Agnete.

1a. Adest dies veneranda,
Dies digne celebranda
Toto cordis gaudio,

1b. Universis admiranda
Agnes est et honoranda,
Si pensetur ratio.

2a. A primaevo juventutis
Tenet jura senectutis
Vim transcendens corporis,

2b. Nam ornamenta salutis
Ac multiformis virtutis
Donum praestant roboris.

3a. Agnes agnum diligit
Et amorem negligit
Juvenis temptantis,

3b. Dona, quae non porrigit,
Respuens praeeligit
Amplexus amantis.

4a. Hinc insanit, perturbatur,
Tunc praefectus contristatur
Nato timens proprio,

4b. Ad lupanar ut ducatur,
Jubet, et prostituatur
Communi ludibrio.

5a. Demandatur spoliari,
Sed capillos condensari
Virtus fecit coelica,

5b. Veste tegit puellari
Nec permittit violari
Hanc manus angelica.

6a. Miser Agnam tangere
Dum vult, mortis verbere
Juste flagellatur,

6b. Sed indulto scelere
Confert ei vivere,
Pro quo molestatur.

7a. Pater nato suscitato
Redit pro se delegato
Viro nefandissimo,

7b. Corde judex effrenato
Jubet Agnam festinato
Foco dari maximo.

8a. Aquam praebet vis amoris
Exstinguentis stilla roris
Fornacem tyrannicam,

8b. Virgo nullius ardoris
Actum sentit nec fervoris
Virtutem vel modicam.

9a. Laudes Agnae gratiosae
Personemus gaudiose
Voce plena.

9b. A qua fertur gloriosae
Simul et victoriose
Mortis poena.

10a. Nam ut agnus jugulata,
Agno digne copulata
Sponsae fulget gloria;

10b. Dulcis Agnes, advocata
Nostra sis, ut ad parata
Perducamur gaudia.

Cod. Mellicensis. 932 saec. 15. — Mel. jedenfalls: In coelesti hierarchia.

113. De sancta Agnete.

1a. Harmonia dulci pangat
Carmen laudis plebs et clangat
Vox in cordis jubilo,

1b. Catervatim hymnizando,
Sonorose concrepando
Propulsato sibilo.

2a. Creatori increato
Patri, coaeterno nato,
Pneumati paraclito,

2b. Qui in sanctis gloriosus,
Majestate virtuosus
Claret actu inclito.

3a. Plaude ergo laetitia
Posttergata moestitia,
Militans ecclesia,

3b. Nuptiae venerunt agni,
Tam praeclari regis magni,
Omni cum facesia.

4a. Tuae namque propaginis
Ac Romanae originis
Filia subarrhatur,

4b. Agnes amoris foedere
Agno, qui regnat aethere
Et Deus adoratur.

5a. Agnes fidem illibatam
Servans seque coelibatam
Offert in amplexibus,

5b. In amore Christi fervens,
Cosmum blandientem spernens
Cum sibi annexibus.

6a. Nam dum flore juventutis
Scholas frequentat virtutis,
Ut electum lilium

6b. Nitet morum honestate,
Fulget vultus venustate,
Quod praefecti filium

7a. Urbis Romae inflammaret
Ejus decor, ut optaret
Eam in conjugium.

7b. Aurum, gemmas, margaritas
Offert, spondet infinitas
Res in dotalitium.

8a. Haec ut caenum cuncta spernit,
Desponsatam se discernit
Christo nunc feliciter,

8b. A quo nullis blandimentis
Emollitur nec tormentis
Illatis ferociter.

9a. Vestimentis spoliatur,
Ut se nudam vereatur
Populum conspicere,

9b. Sed capillis circumdatur
Corpus totum es velatur
Sicut muto vellere.

10a. Mancipata lupanari
Ab angelis consolari
Meruit divinitus,

10b. Stolam nive praenitentem,
Stellis aureis fulgentem
Affert ei coelitus.

11a. Mox infamia fugatur,
Nam lupanar illustratur
Ut solari jubare,

11b. Cujus lumen obstupescunt
Juvenes et expavescunt
Ingredi cum compare.

12a. Adolescens dum iniquus
Fremens intrat impudicus,
Necatur prostibulo,

12b. Pro quo Agna dum precatur,
Reviviscit, qui ploratur
Mortuus in populo.

13a. Plebs hinc furens Agnam magam
Contestatur arte vagam
Mancipari ignibus,

13b. Haec oratione facta

In flammis manet intacta
Corpore ac vestibus.

14a. Demum tortor saevus mergit
Ensem in guttur, sic pergit
Agnes cum victoria

14b. Mox ad sponsi cubiculum,
Ubi suum dilectulum
Concernit in gloria.

15a. Eja, sponsa, nunc agnosce
Servos tuos et deposce
Veniam peccaminum;

15b. Ut consumpto cursu vitae
Choris conjungamur rite
Beatorum agminum.

Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani III 221 saec. 14. B. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. C. — 3a, 2 Prostergata A. — 8a, 1 scenum ABC.

114. De sancta Agnete.

1a. Affluens deliciis
Fertur sponsi brachiis
Agnes sacratissima,

1b. Per quam phalanx virginalis
Sub Christi repausans alis
Ornatur laetissima.

2a. Haec aetate lascivante
Charitate vera dante
Praefecti spernit filium,
Ac si sit mortis spiculum.

2b. Nolens mundo consignari
Nec hunc factis imitari,
Carnem domabat petulam
Dei se monstrans famulam.

3a. Propter hoc arripitur
Praefectus furore,
Ad lupanar ducitur
Virgo cum pudore,
Jubet et illudere
Spoliatam veste,
Huic amator virginum
Aderat pro teste.

3b. Juvenis ingreditur
Mentis ex ardore,
Qui et statim moritur
Patris pro moerore.
Orat pia precibus
Puellari more,
Laeso vita redditur
Virginis honore.

4a. Pro peccatis precor reus,
Tua prece ut et Deus
Mihi condonet gaudii
Tui participium.

4b. Licet vita me ineptum,
Tamen Deo fac acceptum.
O Agnes, odoriferus
Flos et decor virginum.

Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14.

115. De sancto Alexio.

1a. Gratuletur totus mundus,
Omnis homo sit jucundus
In festo Alexii,

1b. Per quem quisque consolatur,
Tribulatis nil negatur
In poenis exsilii.

2a. Cum parentes sic laborant,
Pro haerede Deum orant,
Datur eis filius,

2b. Quo Romana plebs laetatur.
Patris turba jucundatur,
Vocatur Alexius.

3a. Studiose ablactatus
Sponsi pari copulatus
Traditur conjugio:

3b. Dum secreta petit thori,
Huic convivit ut sorori.
Fugit a connubio.

4a. Sicque virgo viduatur
Ut Maria, desolatur
Mariti solatio.

4b. Voluntate denudatur,
Non ut Joseph venumdatur
Longo usus spatio.

5a. Tandem hic ad sua ivit,
Quae sunt sua non quaesivit,
A patre colligitur;

5b. Praesens deest haeres Christi,
Generosa sponsa tristi
More hunc alloquitur.

6a. Subtus gradum collocatur,
Pater, mater hunc affatur
Cognoscentes minime;

6b. Valde fit opprobriosus,
Vixit satis odiosus
Propriae familiae.

7a. Inaudita fama talis,
Quantus sit aut sanctus qualis
Ejus morte patuit;

7b. Quibus signis coram patre,
Coram sponsa, coram matre,
Coram cunctis claruit.

8a. O Alexi, his adjunctis
Nobis vivis vel defunctis
Cuncta mala pellito,

8b. Ut in mundo sic laetemur,
Quod a malis secundemur,
Salvatorem flectito.

Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. — 3a, 2 patri copulatus Hs. — 5a, 1 his ad Hs. — 6a, 1 colligitur Hs. — 7a, 1 famis Hs.

116. De sancto Alexio.

1a. Corde laeto jubilemus,
Plena voce consonemus,
Qui beatum honoremus
Et sanctum Alexium.

1b. Qui mundana contemnebat,
Deo totus adhaerebat,
Nam non ficte requirebat
Jesum, Dei filium.

2a. Vere plenus caritate,
Vitae florens castitate,
Adornatus paupertate
Mendicum fit socius;

2b. Flores probant castitatis,
Docent signa caritatis,
Quantae jam sit dignitatis
Iste vir egregius.

3a. Eja, beate et bone,
Miserere semper prone.
Fac consortes nos coronae
Coelestis militiae.

3b. Per te Christus nos coronet,
Per te vitam nobis donet
Voxque nostra grata sonet
Apud sedem gloriae.

Scala coeli Alberti Pragensis saec. 14. Cod. Pragens. XIII E 3. Mel jedenfalls: Verbum bonum

117. De sancto Amando.

1. Voce praecelsa
Christi clara
magnalia

2a. Pangamus cantica
canentes sibi grata,

2b. Digne qui sublimat
electos super astra.

3a. Perenni gloria
ipsos juste decorans
inter arva.

3b. Qui fide ferventes
cuncta mundi spreverunt
peritura.

4a. Horum inter collegia
rutilans ut stella
praesul lampat
Amandus per saecla,

4b. Cujus sacra solemnia
omnibus colenda
concelebrat
fidelis caterva.

5a. Hic dudum sacra
fidei norma
gentilis reformabat
plebis corda

5b. Et vitae dogma
passim per arva
serebat incessanter
voce clara.

6a. Suadens vana
devitare saecla
ob coeli regna
nanciscenda.
* * * * * * * *
Daemonum fana
sternens plurima

6b. Fundabat diva
monasteria.

Hic centena
hominum milia
baptismi sacra
lavans unda.

7a. Ave, praesul,
claudis semita
caecisque lucerna
salvifica.

7b. Ave, pastor,
tuis tutela,
famulis spes quoque
certissima.

8a. Tu devota
prece Deo fusa
mundo multa
dedisti miranda.

8b. Tu defuncta
suspensi pro noxa
furis membra
fecisti vivida.

9a. O qualis doxa
nunc in alta
poli regia.

9b. Gaudens chorea
cum superna
carne posita.

10a. Tibi, praesul, eja
sonent mirifica
organa.

10b. Voce modulata
concrepet haec aula
jubilans

11a. Mellifiua
melodia.

Plaudit adstans turba
te poscens, ut cuncta
crimina,

11b. Pater alme, tergas
omnes cordis mundans
maculas

Et veniam
obtineas.

* * * * * * * * *

12a. Ut, qui tua
voce tinnula
festa colimus,
praesul, annua,

12b. Deposita
carnis sarcina
tecum fruamur
jugi gloria

13a. Atque continua
cordis laetitia.

13b. Exsultantes una
tecum in gloria

14. Jucundemur in aula
coeli lucida
per saecula.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101.

118. De sancto Ambrosio.

1a. Delectemur ad festiva,
Jucundemur ad votiva
Ambrosii praemia,

1b. Sic versetur laus in ore,
Ne fraudetur cor dulcore,
Quo degustet gaudia.

2a. Hic a Deo praeelectus
Adhuc infans est praeventus
Felici auspicio,

2b. Nam in cunis dum recumbit,
Ejus dogma praeostendit
Apum frequentatio.

3a. Hinc scientia repletus
Consul clarus est effectus
Cunctis applaudentibus,

3b. Sed a Christo designatus
Praesul bonus est donatus
Mediolanensibus.

4a. Intus ardens caritate,
Foris lucens honestate,
Signis et eloquio

4b. Errantem plebem perfidam
Christo reddidit devotam
Non absque prodigio.

5a. Vim malorum superavit,
Saevis morbis imperavit
Nec non et daemonibus,

5b. Sed vir tantae potestatis
Non minoris pietatis
Erat poenitentibus.

6a. Nam peccantem, quem praecidit,
Poenitentem mox univit
Augustum ecclesiae,

6b. Lapsus suos confitentes
Pios reddit ac fidentes
Hortans ad spem veniae.

7a. Hujus fide est conversa
Ariana gens perversa
Totius Italiae,

7b. Hujus scriptis illustratur,
Illustrata solidatur
Unitas ecclesiae.

8a. Salve sancti vas amoris
Et coelestis plenum roris
Nobile per omnia,

8b. Fac per mentis puritatem
Contemplari trinitatem
In una substantia.

Grad. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. B. — 6b, 2 reddidit B. — Mel.: Ad exemplar triumphantis.

119. De sancto Andrea.

1a. Chori nostri jubilent
regi symphonia,

1b. Cujus coeli per orbem
enarrant gloriam,

2a. Rore verbifero
ariditate rigida

2b. Qui corda transformant
velut nubes in maria.

3a. In quis rutilans
Andreas sidus
cluit inter
clara sidera

3b. Et sterilia
mentium dumis
arva vertit
in fertilia.

4a. Qui semina
passim spargit
vitalia;
Ast Aegeae
vana
prohibere tendit
cultorem insania.

4b. Apostoli
sed non cedit
constantia.
Nam magistri
Christi
suam tollens crucem
tenuit vestigia.

5a. Quis rex, cujus habent
et mori
palmam agmina,

5b. Nec esse mori sed
fieri
immortalia?

6a. O quam ineffabilia
virtutis sperata praemia!

6b. O quam fortis patiendo
atque miranda victoria!

7a. Crucem ovans
pie salutas
amplecterisque
mortem, virilis Andrea.

7b. Quid desipis,
quis hunc terrebit?
optat torqueri,
resipe, miser Aegea.

8a. Vir felix, non terreri
summi paracliti
dant consolamina.

8b. Qui crucem gradum facis
ad coelos ascensus,
relinquis infima.

9a. Nam ab humo crucem,
de cruce petis sidera,

9b. Quo nos te precantes
tua levent suffragia;

10. Ubi collaudemus
Deum aeterna
per saecula.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. Mit Mel.

120. De sancto Andrea.

1a. Psallat voce, votis amet
Chorus noster et exclamet
Jubilaeis cantibus,

1b. Namque dignum est et bonum
Apostolicum patronum
Nos efferre laudibus.

2a. Hic Andreas, Petri frater,
Magnus doctor, magnus pater,
Vir totius gratiae,

2b. Uni parens jussioni
Se conformat passioni
Christi regis gloriae.

3a. Rem conformat nomini
Virilis vir Domini,
Totus virtuosus,

3b. Respondet vocabulo
Praedicando populo
Verbo gratiosus.

4a. Crucis hic semper amator
Et fidelis commendator
Constans et intrepidus.

4b. Ascendens in palmam crucis
Lumen clarus poli lucis
Sibi luxit coelitus.

5a. Quidquid crucis est amarum,
Dulce sibi atque carum
Videns hoc prodigium.

5b. Hinc sitivit, esurivit,
Toto corde concupivit
Crucisque supplicium.

6a. Eam videns gaudio
Exultans eximio
Suscipi precatur,

6b. Supervivens biduo
Tempore continuo
Populum hortatur.

7a. Hic dum poena liberatur,
Rogat, ne impediatur
Ipsius martyrium;

7b. Tandem tortum crucis poena
Circumfulsit lux serena
Sicque tradit spiritum.

8a. O quam sanctus, quam devotus,
Qui sic ardens erat totus
In crucis praeconio;

8b. Quam dicebat dedicatam
Christi membris et ornatam
Sanguinisque pretio.

9a. Laudes ergo cum gratiis
Christo pro beneficiis
Persolvamus;

9b. Conemur cum fiducia
Ejus sequi vestigia
Gratulantes.

10a. Sed tu, pater pie, bone,
Pastor gregis et patrone,
Tuo patrocinio

10b. Fac nos frui fructu crucis.
Et aspectu verae lucis
Cum perenni gaudio.

Grad. ms. S. Agathae s. sign. anni 1512. — Mel.: In coelesti hierarchia.

121. De sancto Andrea.

1a. Laetabundus
Andream collaudet mundus
Alleluja.

1b. Qui vocatus
Mox Jesum est comitatus.
Res miranda.

2a. Hic divina gratia
Fulsit in Achaia
Quasi stella,

2b. Idolatras plurimos
Christo fecit credulos
Fide clara.

3a. Sicut Christus voluit,
Verbum vitae docuit
Pari forma,

3b. Nec minis nec pretio
Ejus praedicatio
Fit corrupta.

4a. Hunc in coelis angeli
Laudant, gaudent populi
Valle nostra;

4b. Sunt conversi plurimi
Hoc duce increduli
Fide sumpta.

5a. Hinc Aegeas temere
Coepit hunc corripere
Temptansque pervertere
Mente caeca;

5b. Quod Andreas renuit
Crucemque sustinuit,
Martyr esse meruit
Per praedicta.

6a. Andrea, propera,
Prece nos libera,
Ne damnemur ut
gens misera.

6b. Rogaque prospera,
Det nobis munera
Hic, quem genuit
puerpera.

Antiph. ms. Sanctense s. sign. saec. 13. add. saec. 14/15. — Mel. natürlich Laetabundus. — 2a, 2 Achagia.

122. De sancta Anna.

1a. Anna, pia mater, ave,
Cujus nomen est suave,
Anna sonat gratiam.

1b. Ave, Jesse radix floris,
Quae coelestis dat odoris
Perennem flagrantiam.

2a. Ave, parens stellam maris,
Quam tu nuptam contemplaris
Regis regum filio;

2b. Ave, gemma mulierum,
Clarum sidus, lux dierum,
Alto fulgens solio.

3a. Tu, quae sola meruisti,
Esse parens matris Christi,
Preces nostras suscipe,

3b. Tu nos matri atque proli,
Regi ac reginae poli
Commendare non desine.

Miss. ms. Tegrinseuse saec. 15. Clm. Monacens. 19560.

123. De sancta Anna.

1a. Jubilemus in honore
Matris Christi cum decore,
Summi regis aviae.

1b. Omni laude vere dignae,
Piae, mitis et benignae,
Excellentis gloriae.

2a. Honorantes invocemus,
Invocantes honoremus
Venerandam angelis.

2b. Anna mater, te laudamus,
Tuum nomen invocamus
Voce, corde, canticis.

3a. Nomen tibi gratiosum,
Anna, dedit pretiosum
Tua natus filia.

3b. Quam tu sine macula criminis
Concepisti miseri hominis
Advocatam dilectam.

4a. Nemo, qui te veneratur,
Orat frustra, sed donatur
Magnis beneficiis.

4b. Dono sancti spiritus
Illustratur animus
Et purgatur vitiis.

5a. Esto nobis in adversis
Consolatrix, ne demersis
Dominentur vitia,

5b. Sana morbos animorum,
Terge sordes peccatorum
Cuncta pellens turpia.

6a. Orphanorum consolatrix,
Miserorum reparatrix,
Pia, mitis omnibus,

6b. Fatigatos in labore
Hujus vitae cum dolore
Tuis salva precibus.

7a. Reos solve, justos serva,
Preces funde pro caterva
Hic adstantis populi,

7b. Tua prece fac devotos
Et a culpa nos remotos
Innocentes saeculi.

8a. In hoc mundo nos tuere
Et post mortem fac videre
Jesum, natae filium.

8b. Summo regi nos devoti
Tuo laudes ac nepoti
Solvimus in saeculum.

9a. Carmen nostrum fac jucundum,
Mens devota sit, cor mundum,
Pura conscientia;

9b. Aufer mala, quae molestant,
Bona confer, quae honestant,
Cordis innocentiam.

10a. Rege mentes devotorum,
Anna, tibi famulorum,
Advocata sis moestorum
Mortis in articulo.

10b. Monstra nobis tunc placatum
Regem, natae tuae natum,
Ut cantemus carmen gratum
Mentis cum tripudio.

11a. Ecce corpus Jesu Christi,
Cujus matrem peperisti
In salutem mundo tristi,
Adorandum populis.

11b. Lege quondam praesignatum
A prophetis nuntiatum,
Et a missis praedicatum
Universis gentibus.

12a. Jesu, nostri miserere,
Annae meritis tuere
Hanc catervam, fac videre
Temet ipsum, possidere
In coelesti patria.

12b. Tuum nomen invocamus,
Christe Jesu, te laudamus,
Annae meritis speramus
Vitam, ad quam festinamus
In aeterna gloria.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. — Mel.: Lauda Sion.

124. De sancta Anna.

1a. Ave, mater inclita,
Gratiarum stillula,
Figurarum formula.

1b. Ave, decus regium,
Patrum et pontificum,
Prophetarum gloria.

2a. Te psalmi et cantica,
Simul ornant coelica
Angelorum organa.


2b. Hierusalem properas,
Viro laeta obvias,
Anna, porta aurea.

3a. Genarcha eximius,
Joachim praecipuus
Gaudet nova gratia.

3b. Nazareth tunc nascitur,
Templo Dei pascitur
Pulchra Sion filia.

4a. Compta super lilia,
Nobilis Christifera,
Digna Dei thalamo.

4b. Stirps fulges Davida,
Anna Aaronitida,
Regnas coeli solio.



5a. Nos patri cum filio
Commenda paraclito,
Pia ava veniae,

5b. Ut nos mundet sedulis
Peccatorum maculis
Hysopo clementiae.

Miss. ms. S. Blasii anni 1491. Cod. S. Pauli ad Laventum ex Sanblasian. memb. 64. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

125. De sancta Anna.

1a. Ave, Jesu, verbum patris
Parentum nos tuae matris
Salva sanctis precibus.

1b. Ave, archa deitatis,
Sta pro nobis cum beatis
Tuis genitoribus.

2a. Ave, splendor Dei patris,
Nos associa beatis
Mariae parentibus.

2b. Ave, mater Jesu digna,
Jesu Christo nos assigna
Cum tuis parentibus.

3a. Ave semper et in aevum,
Christe, fuga quodque laevum
Pro matris parentibus.

3b. Ave, mater Jesu cara,
Nobis vana fac amara
Propter tuos parentes.

4a. Ave, Christe, panis vitae,
Fac vivamus tibi rite
Propter matris parentes.

4b. Ave mater salvatoris,
Adsis nobis cunctis horis
Cum tuis parentibus.

5a. Ave, Jesu praeamate,
Fac vivamus tibi grate
Propter matris parentes.

5b. Ave mater Jesu pia,
Fac vadamus Dei via
Cum tuis parentibus.

6a. Ave, puer alme Jesu,
Vitae pasci fac nos esu
Propter matris parentes.

6b. Ave, bona Jesu mater,
Fac nos salvet summus pater
Cum tuis parentibus.

7a. Ave, clemens Jesu Christe,
Nos coelorum regno siste,
Propter matris parentes.

7b. Ave, dulcis mater Christi,
Fac nos regno Dei sisti
Cum tuis parentibus.

8a. Ave, Jesu, pro Maria,
Joachim et Anna pia,
Sanctis genitoribus.

8b. A vae carnis nos tuere
Et cum ipsis te videre
Fac et sanctis omnibus.

Miss. ms. Brixinense anni 1372. Cod. Oenipontan. 295. A. — Miss. ms. Miss. Tegurinum anni 1460. Clm. Monacens. 19236. B.

126. De sancta Anna.

1a. Ave, Anna, laude magna,
Mater matris summi patris,
O sublimis gloria,

1b. Stirpe David procreata,
Nos salvavit ex te nata
Mater Dei Maria.

2a. Nos credendo id laudare,
In credendo plus amare,
Fac, origo gratiae,

2b. Unde coepit fides sana
Et percepit mens humana
Fontem sapientiae.

3a. Virgo Dei procreatur,
Per quam venit, qui solatur
Omnes in martyrio,

3b. Regis mater generatur,
Per te Anna ablactatur
Coelico cibario.

4a. Multis multa haec largitur
Salus vera haec partitur
Omnibus fidelibus;

4b. Virgo mater, Jesu bone,
Omnes mortis in agone
Aptate coelestibus.

5a. Nos credentes, mater, audi,
Assistentes tuae laudi
Juva beneficiis,

5b. Per quam scimus exaudiri,
Fac nos omnes inveniri
Tecum in deliciis.

Miss. ms. Cremifanense 41 saec. 14/15. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. B. — 5a und 5b umgestellt A. — 5b, 1 Te quam scimus A.

127. De sancta Anna.

1a. Sanctae Annae sonorus
Exultet chorus,
Alleluja.

1b. Haec est Sara secunda,
Partu fecunda,
Res miranda.

2a. Virgam Jesse produxit,
De qua Christus illuxit,
Sol de stella.

2b. De Anna eximia
Fulsit virgo Maria
Semper clara,

3a. Sanctis cunctis dignior,
Ut sol stellis clarior
Pari forma.

3b. Anna amans coelica,
Mundi spernit lubrica
Et corrupta.

4a. Gignens salutis fructum,
Abstulit omnem luctum
Valle nostra;

4b. Ex prole, quam genuit,
Sol verus emicuit
Carne sumpta.

5a. Sol Christus, irradia
Nostra corda gratia,
Nec sinas labe noxia
Esse caeca.

5b. Tua incarnatio
Salvet nos et passio,
Quae vatum praesagio
Est praedicta.

6a. Nunc ora, ut pia
Mater et filia
Succurrat tibi,
gens misera,

6b. Et te post tristia
Ducat ad gaudia
Haec, quae genuit
puerpera.

Miss. ms. S. Coronae anni 1498. Cod. Pragens. XII C 6. A. — Miss. ms. Tieschobucense saec. 15. Cod. Pragens. XIV B 17. B. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 87 saec. 14. in. C. — Miss. ms. Pragense XII C 5. anni 1482. D. — 5b, 4 Fuit praedicta BD. — Mel.: Laetabundus; der Reim bezeugt unrichtige Abteilung von Str. 1.

128. De sancta Anna.

1a. Gaude, concio fidelis.
Laudans Dominum de caelis
Pro sua clementia,

1b. Mundo quippe morienti
Succurrit ope potenti
Donans vitae gaudia.

2a. Anna regum stirpe nata
Joachimque sociata
Concipit divinitus,

2b. Infecunda fecundatur,
Sterili conceptus datur
Praesignatus coelitus.

3a. Dulcem gignit Anna prolem,
Quae produxit verum solem,
Christum, regem gloriae;

3b. O quam felix tam felicis
Mater Dei genitricis,
Matris omnis gratiae.

4a. O quam felix, quam beata,
De qua prodit illibata
Virgo et puerpera,

4b. Per quam vita mundo redit,
Per quam pulsa mors recedit,
Per quam patent aethera.

5a. Anna dulcis, Anna pia,
Cum dulci nata Maria
Nos foveto jugiter;

5b. Jesu, fili dulcis harum,
Fac nos meritis ambarum
Te frui perenniter.

Miss. ms. bibl. Rossianae s. sign. saec. 13. add. saec. 14.

129. De sancta Anna.

1a. Luce lucens in superna,
Lucis ductrix et lucerna,
Claritatis gerula,

1b. Felix Anna, de caverna
Laci transfer ad superna
Lucis nos vehicula.

2a. Mundi jubar luminare
Novum paris sine pare
Sole plus illuminans;

2b. Ex te duxit ortum clare
Maris stella per hoc mare
Spatiosum rutilans.

3a. Orta stirpe de regali
Super ortum speciali
Gaudes privilegio,

3b. Prole fulgens sola tali,
Quali nulla de mortali
Sexu vel collegio.

4a. Cella vera tu coelestis,
In qua trinitatis vestis
Est ordita primitus;

4b. Hujus rei caro testis
Exstat Christi, quam in festis
Gestat jam coelestibus.

5a. Carnem tuam carnem Christi
Per Mariam, quam tulisti,
Recta probat linea,

5b. Qua cum Deo contraxisti
Genus omne ac vicisti
Nata cum virginea.

6a. Tu terminus tristitiae,
Scaturigo laetitiae,
Quae prolem benedictam

6b. De gremio das gratiae,
Matrem solis justitiae,
Labe prorsus invictam.

7a. Tua grandis est potestas,
Tibi coeli dat majestas
Matronatus gloriam,

7b. Ad tranquillum, quos potestas,
Ad fluentem, quos egestas
Urget, trahe copiam.

8a. Eja, mater, plena bonis,
Gratiarum dita donis
In praesenti pauperes,

8b. Hujus cursum post agonis
Triumphatum nos in thronis
Loca bonis uberes.

Grad. ms. Brixinense saec. 15. Cod. Seminar. Brixin. s. sign. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

130. De sancta Anna.

1a. Omnis mundus
Exsultet et sit jucundus
Alleluja,

1b. Nova festa
Nunc adsunt sed diu gesta,
Res miranda.

2a. Anna nupsit nobili
Joachim consimili,
Soli stella,

2b. Hi dilecti pariter
Vixerunt feliciter
Fide clara.

3a. Tandem cuique visio
Monstratur ab angelo
Pari forma;

3b. Crediderunt nuntio
Nec horum devotio
Fit corrupta.

4a. Post haec Anna concepit
Et Mariam peperit
Valle nostra,

4b. De qua Christus nascitur.
Ejus lacte pascitur
Carne sumpta.

5a. Iste Dei filius
Missus erat coelitus,
Sed hunc plebs Judaica
Damnat caeca.

5b. Unde crucifigitur,
Lancea perfoditur,
Fecit haec delicta
Plebs praedicta.

6a. Jesu, nos adjuva,
Cum matre Maria
Transfer de valle
hac misera

6b. Ad coeli gaudia,
Ubi cum avia
Regnas et matre
puerpera.

Miss. ms. Sloterdicense anni 1480. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 148. A. — Miss. ms. Herfordense saec. 15. Cod. Berolinens. Fol. 443. B. — Orat. ms. saec. 15. Hs. der k. u. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek. C. — 1 b, 2 sed diva gesta A; Dei gesta C. — 2 a, 3 Sol de stella A. — 6 a, 2 sqq. Transfer post funera De valle hac misera. C. — Mel. natürlich Laetabundus.

131. De sancta Anna.

1a. Gaude, cunctis veneranda,
Anna, mater et cantanda
Superum concentibus,

1b. Anna recte nuncupata
Gratiosa, dono data
A Deo mortalibus.

2a. Ab aeterno praeelecta
Et a regum stirpe secta
Manu sapientiae,

2b. Ex te nata stella maris,
Virgo mater expers paris,
Regina clementiae.

3a. Tu immensae vas virtutis,
Certam nostrae spem salutis
Es ordita primitus,

3b. Quae cum Deo contraxisti
Genus carnis et tulisti
Tanta dona coelitus.

4a. O quam felix, quam beata,
Tali prole foecundata,
Parens matris gratiae,

4b. Stupet omnis creatura,
Laudum tibi litans thura
Coram Dei facie.

5a. His accedunt binae natae
Et sex proles perbeatae,
Viae Christi comites;

5b. En in culmo septem spicae
Atque vitis ex radice
Surgentes tres palmites.

6a. Vere celsus tuus status
Et immensus potentatus
In coelesti curia,

6b. Quid non posses exorare.
Tuum natum si rogare
Tanta velis gloria.

7a. Ergo mater Anna pia
Tota stirpe cum Maria
Jesum ora filium,

7b. Quo sic cum veneremur,
Ut in coelis collaetemur
Post praesens exsilium.

Grad. ms. Gaesdoncanum s. sign. saec. $^{15}/_{16}$. A. — Antiph. ms. Lubicense s. sign. saec. $^{15}/_{16}$ B. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

132. De s. Antonio Eremita.

1a. Veni, pater Antoni,
Et spiritalis doni
Nobis mitte radium.

2a. Consolator optime,
Ignem pellis maxime
Dando refrigerium:

3a. O virtus sanctissima
Salusque citissima
Tuorum fidelium.

4a. Munda corpus sordidum,
Irriga cor aridum,
Sana, quod est saucium;

5a. Da devotis mentibus
Ad te suspirantibus
Sacrum septenarium

1b. Veni, pater pauperum,
Medicina vulnerum
Carnis atque cordium.

2b. Ardor, in quo requies
Non est, fit temperies
Per tuum solatium.

3b. Nam in tuo nomine,
Quod nocet in homine,
Cito fit innoxium.

4b. Flecte morbum rigidum,
Ignem redde frigidum,
Rege quod est devium.

5b. Et nobis post obitum
Christi per intuitum
Da perenne gaudium.

Miss. ms. Montis Romarici saec. 14/15 Cod. Parisiens. 14823. — Mel. selbstverständlich Veni sancte spiritus.

133. De s. Antonio Eremita.

1a. Salve, pater venerande,
Vita cujus imitandae
Virtutis est formula,

2a. Ubi Deo serviebas
Mero corde et vincebas
Daemonum versutias,

3a. Cedunt namque vexatores
Victi, qui triumphatores
Se sperabant fieri;

4a. Tandem vitam strictiorem
Es agressus nec horrorem
Vasti spernens eremi.

5a. Corpus tuum biduanis
Macerasti, triduanis
Crebrisque jejuniis.

6a. O Antoni gloriose,
Vitae nostrae aerumnosae
Pie fer auxilium;

7a. Ita Deus te precante
Mundi fastum nobis ante
Mortem donet vincere.

1b. Quam tam clare praetendisti,
O Antoni, dum vixisti
In Aegypti partibus.

2b Infestatus et afflictus
Non es motus neque victus
Ab eorum furia.

3b. Parant fugam nil adepti,
Consternati et decepti
Tuam per industriam.

4b. In speluncis et cavernis
A mundanis et externis
Reprimebas animum.

5b. Postque carne resolutus
Claritate es indutus
In coelesti curia.

6b. Sicut tu vicisti mundum
Et in Deo cor jucundum
Tibi semper exstitit,

7b. Per quod vultum deitatis
Contemplemur cum beatis
In perenni gloria.

Grad. ms. Gaesdoncanum s. sign. saec. 15. ex.

134. De s. Antonio Patavino.

1a. Gaude, felix sponsa Christi,
Quae fecunda manens munda
Mater es fidelium,

1b. Prolem sanctam, quam nutristi
Lacte mundo, pandis mundo
Beatum Antonium.

2a. Gaude, pater pauperum,
Perfectorum operum
Ex te floret filius.

2b. Ecce patris gloria
Et matris laetitia
Sanctus est Antonius.

3a. Augustino primitus
Suberat, quem coelitus
Sanctus vocans spiritus

3b. Ad Francisci regulam,
Paupertatis formulam,
Mundo tulit penitus.

4a. Felix hunc Hispania
Profudit, Italia
Potitur praesentia;

4b. Major his tu, Padua,
Qua nunc per miracula
Corruscat assidua.

5a. Consummatus breviter
Fruitur perenniter
Regem regum omnium;

5b Pavor est errantium,
Salus poenitentium,
Nova lex credentium.

Miss. ms. Franc̃isc. saec. 15. Cod. bibl. publ. Olomucens. 2 VIII 40. A. — Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. B. — Grad. ms. Francisc. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12. C. — Mel.: Veni sancte spiritus C; Quadriforme signum crucis B. — Str. 5b fehlt A.

135. De s. Antonio Patavino.

1a. Ad honorem, Christe, tuum,
Pangens chorus crucis suum
Signo cor insigniat,

1b. Nihil valet crux in fronte,
Cum de cordis manans fonte
Virus vitam vitiat.

2a. Ad os ergo mittat manum
Christi miles nec in vanum
Aerem percutiat,

2b. Laudes ergo promat laetas
Et ignorans laude metas
Voce vitam fulciat.

3a. Ecce manus inimica
Languet, Christus dum antiqua
Renovat miracula,

3b. Per abjecti cultus virum
Pellens hostem procul dirum
Et ipsius jacula.

4a. Vere pauper et abjectus
Sed insigne gessit pectus
Nobilis Antonius,

4b. Audax praeco verbi Dei,
Quod alludens nomen rei
Pandit evidentius.

5a. Ortum traxit ab Hispanis
Pauper dives non inanis,
Per quem vitae datur panis
Civibus Italiae;

5b. Forma morum hic Minorum,
Hortos rigat Italorum,
Ut dicatur fons hortorum
Puteus Hispaniae.

6a. Quis est, qui se jam non spernat,
Si, quae recta sunt, discernat,
Cum spectores sui cernat
Orbis reges fieri?

6b. Ecce vides coronatum
Antonium sublimatum,
Quem vidisti minoratum
Sacco tectum veteri.

7a. O Antoni, o Antoni,
Dono doni summi boni
Absolutis a tributis
Da salutis, da virtutis
Culmen apprehendere.

7b. Qui attolunt te devoti,
Per te Deo fiant noti,
Ut a malis liberentur
Et cum justis jucundentur
Juncti pari foedere.

Grad. ms. Bernhardinorum Cracoviens. saec. 15/16. — Mel.: Lauda Sion.

136. De sancto Arnulpho.

1a. Hodierna recolamus
Arnulphi solemnia,

1b. Pari voto persolvamus
Ei laudum munia.

2a. Hunc gentiles genuerunt,
Sed divina gratia

2b. Baptizari meruerunt
Spreta idolatria.

3a. Baptizatur et filius,
Sanctus enim Remigius
Suscepit filiolum,

3b. Informat eum literis
Novae legis et veteris,
Intimat et symbolum.

4a. Commendat hunc Chlodovaeo,
Honoratur hic ab eo
Et cunctis palatii,

4b. Nutu Dei sublimatur,
Nepti regis copulatur
Lege matrimonii.

5a. Sponsus sponsam deserit,
Angelus hoc suggerit
Dormienti,

5b. Refert hoc Remigio,
Datur benedictio
Recedenti.

6a. Loca sancta visitat,
Vir defunctos suscitat
Palatinus,

6b. Caecos et illuminat,
Daemones eliminat
Peregrinus.

7a. Urbs Ravenna gratulatur,
Cum defunctus suscitatur
Raptus a daemonibus;

7b. Alter jam efferebatur,
Sed ad vitam revocatur
Peregrini precibus.

8a. Turonensis orat clerus,
Hunc revelat pastor verus,
Sacerdos eligitur;

8b. Cedit serpens, surgit mersus,
Ad sponsam sanctus reversus
A servis occiditur.

9a. Linquis solum,
Petis polum,
Felix martyr, hodie;

9b. Placa Christum
Diem istum
Colenti familiae.

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060.

137. De sancto Augustino.

1a. Ecce Patris et doctoris
Praeclarique confessoris
Fulget natalitium,

1b. Hipponensis Augustini,
Cujus fuit os divini
Roris stillicidium.

2a. Sit ejus festivitas
Cunctorum jucunditas,
Quia cunctis profuit,

2b. Sed nobis potissimum,
Quibus saluberrimum
Canonem instituit.

3a. Sero quidem baptizatus,
Sed tunc digne flens reatus
Se priorem exuit.

3b. Usquequaque renovatur
Sicque praesul consecratur,
Quod invitus annuit.

4a. Mox ergo non propria
Sed Christi negotia
Tractat et exsequitur,

4b. Nec honorem perperam
Sed opus et operam
Praesulis amplectitur.

5a. Timorate villicat,
Manu, lingua praedicat
Suique multiplicat
Domini talenta.

5b. Illa nummulario
Tradit non sudario,
Nec latet sub modio
Facula detenta.

6a. Fit doctrinae puteus
Fideique clipeus,
Fit malorum malleus
Et zelotes latriae.

6b. Donatum, Sabellium
Confundit et Arrium,
Satanae ternarium,
Rivulos perfidiae.

7a. Explicat obscuras
Antea scripturas,
Harum tritaturas
Pandit et figuras
Sensumque mysticum.

7b. Salvatoris almos
Sermones et psalmos
Disserit, declarat
Et utrimque parat
Vitae viaticum.

8a. Infinitorum
Aestu laborum
Pollet in pastoribus,

8b. Mellifluorum
Floret librorum
Copia prae omnibus.

9a. O quam fixe contemplatur,
Dum matrona non spectatur

Nec inde certificatur,
Unde gestit quaerere.

9b. Moesta redit sed docetur,
Quod, dum Deum contempletur,
Visum sanctus non tenetur
Ad ipsam reflectere.

10a. In extremis dum laborat,
Pro febricitantis orat
Sospitate;

10b. Aeger aegro suffragatur,
Firma languor infirmatur
Caritate.

11a. Ejus corpus venerandum
Dum Papiae collocandum
Defertur ad Luitprandum,
In via subsistitur;

11b. Obsequentes non admittit
Nec moveri se permittit,
Donec villam rex promittit,
Quae vicina cernitur.

12a. O benigne
Augustine,
Forma sanctitatis,
O divinae
Fons doctrinae,
Tuba veritatis,
Stella claritatis,
Matutinae

12b. Audi chorum
Famulorum
Tibi concinentem,
Sed suorum
Delictorum
Fasce fatiscentem,
Serva tuam gentem,
Spes tuorum.

Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. 12. Cod. S. Genovefae Parisiens. Bibl. Fol. 7. add. saec. 14. — 6b, 1 Dotinum, Sabellium. — 12b, 6 facessentem.

138. De sancto Augustino.

1a. Consors sono
Patrono
Decantet vita
Alleluja,

1b. Surda aspis
Fit jaspis
Ex Basan cita,
Res miranda.

2a. Ut audit sanctum mente
Augustinus fit lente
Sol de stella;

2b. Quem fons sacer dum novat,
Pia genitrix ovat
Semper clara.

3a. Turgens dogma vanescit,
Error quivis liquescit
Pari forma,

3b. Ut dat verbum fidei,
Haeresis Manichaei
Fit corrupta.

4a. Mandit cibum grandium,
Fitque pars humilium
Carne sumpta,

4b. Triginta nec non mille
Dictavit libros ille
Valle nostra.

5a. Coaequalem genitum
Patri probat filium.
Quo confutat Arrium
Mente caeca;

5b. Quia miser Arrius
Fide stetit dubius,
Crepuit hinc medius
Post praedicta.

6a. Dulcis Augustine,
Finem culpae trinae
Fer, ne damnemur
gens misera.

6b. Corde, verbo, opere,
Munda nos propere
Dans quem genuit
puerpera.

Cod. Palat. Vindobon. 3301 saec. 16. — Mel. offenbar: Laetabundus.

139. De sancto Augustino.

1a. Cum patribus et prophetis
In coelesti gloria,

1b. Quorum dicta recitavit
Docens in ecclesia.

2a. Verbum Dei manu, lingua,
Cum magna constantia

2b. Praedicavit atque scripsit
Fultus Dei gratia.

3a. Fortunatum condemnavit
Cum sua versutia,

3b. Fidem nostram conservavit
Mira eloquentia,

4. Sicque complens vitae cursum
In coelesti sede sursum
Dormivit.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1139. Mit Mel.

140. De sancto Augustino.

1a. Deo regi confessorum
Psallat chorus angelorum.
Psallat et vox hominum,

1b. Plebs et clerus ac praelati
Psallant summae trinitati.
Deo patri luminum.

2a. Qui scriptos in libro vitae
Facit ut in vera vite
Christo vivant palmites,

2b. Quos ut ferant fructus multos
Colit, purgat minus cultos
Rectos docens tramites.

3a. O quam magna, quam profunda
In electis, quam jucunda
Dei sunt judicia,

3b. Petri, Pauli, Augustini
Lapsus, error sunt divini
Arcani indicia.

4a. Augustinus dum sophiae
Mundi servit, matris piae
Sacra spernit monita,

4b. Mundi rhetor parvipendet
Christi fidem nec attendit.
Quae sit Christi semita.

5a. Mater deflet hunc errantem,
Flentem Deus et orantem
Audit vertens impium;

5b. Ab aeterno praeelectum
Vertit curvum in directum
Sacrum per Ambrosium.

6a. Sacro fonte qui ablutus
Adam veterem exutus
In novum convertitur,

6b. Membrum Christi mox perfectum
Per affectum et effectum
Operis ostenditur.

7a. Mundi spernit vanitatem.
Solam Dei bonitatem
Amat et amplectitur;

7b. Sacris litteris imbutus,
Christi sale delibutus
Doctor clarus noscitur.

8a. Dictat, scribit, docet recta,
In lucem producit tecta
Scripturae mysteria,

8b. Fortis tyro veritatis
Tyrannorum falsitatis
Vincit magisteria.

9a. Hinc ad sedem postulatur
Praesulatus, infulatur,
Dignus tanto culmine;

9b. Felix pastor gregis Christi,
Felix grex, qui meruisti
Hoc regi regimine.

10a. Nulli prorsus hic secundus,
Quisnam corde sic profundus
In Dei scientia?

10b. Fructu vitae hic fecundus,
In scripturis hic facundus
Mira eloquentia.

11a. Sacrosanctae Trinitatis
Contemplator cum beatis
Fruens nunc coelestibus,

11b. Pastor, gregis memor esto,
Sanctis nos in coeli festo
Junge tuis precibus.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. — Mel.: Congaudentes exsultemus, jedoch mit bedeutenden Abweichungen am Schlusse.

141. De sancto Augustino.

1a. Augustini confessoris
Sit in cunctis cleri choris
Praeclara solemnitas,

1b. Laude dignus est ingenti,
Quem coelestis testamenti
Sublimat haereditas.

2a. Nomen habens ab augmento
Vino replet et frumento
Domini familiam,

2b. Non inventus est aequalis
Ad augendam spiritalis
Mutui pecuniam.

3a. O quam dignum laude virum,
Qui conseptus est per gyrum
Auri tintinabulis,

3b. Ut sonora vox decoris
Audiretur non tam foris
Quam intus in populis.

4a. Ejus aqua salutaris
Stagna manant instar maris
Ex cisterna putei,

4b. Per sermones, homelias
Commentorum morum vias
Praeparat et fidei.

5a. Ergo, pater Augustine,
Tuae normam disciplinae
Sequentes vernaculos

5b. Juva semper, ut seramus
Hic in terris, quos metamus
In coelis, manipulos.

Cod. Palat. Vindob. 3301. saec. 16. Unter anderen Sequenzen.

142. In translatione s. Augustini.

1a. Corda sursum eleventur
Et devote celebrentur
Inclita solemnia

1b. Nostri patris Augustini,
Concinentes angelini
Chori promant gaudia.

2a. Tuba, cymbalis, organo
Lyra, tibia, tympano
Cythara, psalterio,

2b. Rhythmo, prosa, dulci nota,
Voce, voto, mente tota
Sonet jubilatio.

3a. Psalle, psalle, laeto vultu,
Dic ex corde pio cultu:
Salve, gemma praesulum,

3b. Salve, tu sophiae crater,
Regularis vitae pater,
Sanctitatis speculum.

4a. Salve, pater Augustine,
Vas electum, vas divinae
Capax sapientiae,

4b. Vas infusum vena vitae,
Vas profundens vinum vite,
Vas coelestis gratiae.

5a. Salve lux et dux doctorum,
Malleus haereticorum
Conterens perfidiam,

5b. Tu decus theologorum,
Tu mundi philosophorum
Superas scientiam.

6a. Quis poterit similiter
Tibi congloriari,
Quis sicut tu sublimiter
Valuerit effari
Scripturae mysteria.

6b. Quis sensit te fidelius,
Protulit utilius,
Implevit efficacius,
Reserans subtilius
Quaestionum dubia.

7a. Nunc in coelo constitutus
Hoc ad plenum es imbutus,
Quod hic praegustaveras,

7b. Stola mentis es indutus
Braviumque consecutus,
Cursu quod intenderas.

8a. Nunc in arce fulgens poli
Pete, pater, tuae proli
Gratiae subsidium,

8b. Tu in polo nos in solo
Fac ne belli vi vel dolo
Supplantemur hostium.

Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecensis 456. A. — Miss. ms. Floriani XI 389 saec. 14. B. — Brev. ms. S. Floriani XI 391 saec. 14. C. Brev. ms. S. Floriani III 205. A (geschrieben von Propst Heinrich von St. Florian † 1321) D. — Miss. ms. S. Floriani XI 390 saec. 14. E. — Cod. Palat. Vindobon. 3301 saec. 16. F. — Die Mel. in Neumen enthalten CDE. Cfr. Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. 9445.

143. De sancta Barbara.

1a. Collaudemus salvatorem
Omniumque conditorem
Jesum unanimiter,

1b. Cum quo regnat gloriosa
Virgo, martyr pretiosa,
Barbara perenniter.

2a. Jubet pater, ut claudatur,
Ne ipsius videatur
Pulchritudo nimia;

2b. Postulatur in uxorem,
Sed ob Domini amorem
Contemnit connubia.

3a. Pater, cultor idolorum,
Natam, contemptricem horum,
Videns Christum colere,

3b. Per capillos mox accepit
Et flagellis fervens cepit
Duris eam caedere.

4a. Praesidi hoc intimavit
Et ut gravibus rogavit
Poenis hanc consumeret;

4b. Post haec praeses advocavit
Sanctam Dei et suasit
Huic, ut Deos coleret.

5a. Hanc spernentem denudari
Et taurinis flagellari
Nervis membra tenera

5b. Praecepit, sed Deo grata
Pro amato est parata
Ferre quaeque aspera.

6a. Virgo hinc incarceratur,
Carcer claret, visitatur
A Christo in carcere.

6b. Qui benignis consolatur
Verbis, per quem et sanatur
Haec ab omni vulnere.

7a. Ardentes ad latera
Ejus apponuntur
Lampades, hinc ubera
Sua abscinduntur.

7b. Ejus caput caeditur
Malleis beatum,
Alba stola tegitur
Corpus denudatum,

8a. Quam de coelo angelus
Virgini portavit,
Tandem pater impius
Natam decollavit.

8b. In morte specialiter
Aliqua oravit,
Cui Christus largiter
Omnia donavit.

9a. Desuper divinitus
Ignis descendebat,
Qui profanum penitus
Patrem consumebat.

9b. Martyrum praeconium
Virgoque decora.
Nobis in auxilium
Sis in mortis hora.

Miss. ms. S. Stephani Divionensis saec. 15. Cod. Parisiens. 879.

144. De sancta Barbara.

1a. O felix virgo Barbara,
Ex stirpe regum genita,
Te laudant coeli agmina.

1b. Veni, consolare nos,
Tibi servos gregatos,
Virginum tu virgo flos.

2a. Per divinam clementiam
Vicisti potentiam
Tui patris versutiam,

2b. Qui te tormentis plurimis
Compulit, ut idolis
Libares sacrificiis.

3a. Confortata in carcere
Per angelum ab aethere,
Dans tibi sertum gloriae

3b. In passionis tempore,
Te texit Christus hodie
Stola innocentiae.

4a. O beata Barbara,
Mariae pedissequa
In coelesti curia.

4b. Fortis agonista es,
Aeterna nobis vera spes,
Nobiscum in agone stes.

5a. Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Bona temporalia,

5b. Da in vitae vespera
Aeterna nobis gaudia,
Cum Christo regnans Barbara.

Miss. ms. S. Floriani XI 395 saec. 14. A. — Miss. ms. Mellicense 1104 saec. 15. B. — Miss. ms. Hilariense LI saec. 15. C. — Miss. ms. Capit. Olomucensis 73 saec. 15. D. — Miss. Claustroneoburgense 605 saec. 15. E. — Miss. ms. Zwethalense 198 saec. 14. F. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. G. — Miss. ms. Superioris Altae saec. 15. Clm. Monacens. 9744 H. — Miss. ms. Sanemmeramense saec. 15. Clm. Monacens. 14450 I.

Mel.: Veni sancte spiritus. — 1a, 1 martyr Barbara D; Veni virgo Barbara F. — 1a, 2 Et stirpe regum A. — 1b, 1 consolare hos A. — 4b fehlt A; in 1 lautet diese Halbstrophe: Ut fruamur corporis | Sacri, aedificiis | Ne jungamus inferis.

145. De sancta Barbara.

1a. Ave, virgo, fons virtutum,
Ave lumen, ave scutum
Tibi servientium,

1b. Docens iter coeli tutum
Simulacrum surdum, mutum
Contrivisti gentium.

2a. Ave, gemma pretiosa,
Ave stella, ave rosa
De spina gentilium,

2b. Miro vultu speciosa,
Dioscori generosa
Nata velut lilium.

3a. Salve, virgo, o flos florum,
Spernens cultum idolorum
Jesum Christum sequeris,

3b. Ubi cantus angelorum
Audis luce beatorum
Amicta prae ceteris.

4a. In te splendor trinitatis,
O speculum castitatis,
Lucet sine termino.

4b. Nos a diris salva fatis,
Ut jungamur cum beatis
Angelorum Domino.

5a. Carismatum confer dona,
Virginum flos et corona,
Quae aetate tenera

5b. Aurum linquens, patris bona,
Suscepisti mente prona
Tormentorum genera.

6a. Dum nudata flagellaris,
Virgo felix, et probaris
Fluunt rivi sanguinis,

6b. Et post luce circumdaris
Carne tecta, mox sanaris
Nutu sacri flaminis.

7a. Zelo ardes dum amoris,
Visitat cum coeli choris
Te sponsus in carcere,

7b. Ergo tui flos candoris
In te rubet, dum stas foris,
Nec visus marcescere.

8a. Luce coeli illustraris,
Dum in antro maceraris
Fame, siti valida:

8b. O quam dire laceraris
Equuleo et cremaris
Lampade praecalida.

9a. Nequam pater te mucrone
Suo ferit in agone
Et mox reddis spiritum;

9b. Alme Deus, Jesu bone,
Participes nos coronae
Fac post vitae exitum.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 213 saec. $^{15}/_{16}$. — 6a, 2 felix expromaris Hs.

146. De sancta Barbara.

1a. Hierarchia coelica
Gaudet et angelica,
Quod a Saracenica
Facta sit Christicola,
Sic scandens ad aethera,

1b. Martyr, Christi vernula,
Legis Dei aemula;
Ut de spinis rosula,
Sic haec veris primula
Candens super sidera.

2a. Felix Christi famula,
Maximus quam satrapa
Vana per consilia
Verbaque subtilia
Pervertere volebat.

2b. Haec puella sentiens,
Castitatem sitiens.
Carni non consentiens
Mundum sed abjiciens
Se Christo committebat.

3a. Hanc a fide precibus
Nequivit revocare
Et minarum faecibus
Nec animum mutare
Dioscorus, quam necibus
Jussit judicare.

3b. Virgo tunc ardentius
Est fidem amplexata,
Christo evidentius
Adhaesit inflammata,
Auscultans attentius
Legis Dei mandata.

4a. Clauditur ergastulo
Privatur indumentis.
Fricatur cilicio,
Ustatur ferramentis.
Caput cudit malleo
Manus percutientis,
Tali certans proelio
Laetatur in tormentis.

4b. Dira suffert verbera.
Postremo flagellatur.
Munda perdit ubera
Et caput amputatur,
Peractoris furia
Statim recompensatur.
Per fulmen ad tartara
Gehennae transportatur.

5a. Memorare, martyr Christi,
Quod, dum mortem adiisti.
Tormenta non timuisti,
Sponsi vocem percepisti:
Veni coronaberis.

5b. Virgo Barbara serena,
Pia fautrix, fide plena.
Te implorat plebs egena,
Quod cum agno sit in coena,
Sedule quem sequeris.

6a. Virgo, salus miserorum,
Jam nunc consors angelorum.
Tuum nos fac ante thorum
Laudes promere justorum
Spei cum fiducia.

6b. Eja, mater contritorum.
Corda tange filiorum,
Fac ut preces nostrae chorum
Pronae intrent angelorum
Veniae cum gratia.

Miss. ms. S. Floriani III 221 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. B. — Miss. ms. S. Floriani XI 391 C.

147. De sancta Barbara.

1a. Gaude, virgo nobilis,
Quae cum esses nubilis
Respuisti conjugem,
Barbara.

1b. Tres fenestras statuis,
Crucis typum digitis
Sculpis venerabilem,
Barbara.

2a. Pedis signum proprii
Imprimis, quo saucii
Sumunt sanitatem,
Barbara.

2b. Oves et prodentis te
Fiunt mox locustulae,
Praefectum et patrem,
Barbara,

3a. Et tormenta varia
Vincis, Dei famula,
Barbara.

3b. Post mortis victoriam
Intras coeli gloriam,
Barbara.

4a. Tibi cuncti servientes
Salva, nutri, protege,
O Barbara.

4b. Ut post mortem sint gaudentes
Tecum coeli culmine,
O Barbara.

Miss. ms. Schlierbacense I 14 anni 1484. A. — Miss. ms. Hilariense X saec. 15. B. — Miss. ms. Zwethalense 207 saec. 15. C. — Miss. ms. Neoclaustrense XII B 11 saec. 15. D. — Miss. ms. Monacense 23055 E. — 1b, 2 Crucis tympanum ABC. — 2a, 1 Sedis A, Dedis E. — 2a, 3 Sumit AE. — 2b, 2 Finnt fehlt AB.

148. De sancta Barbara.

1a. Gaudet ecclesia,
Fidem baptismatis
Quod Dei filia
Sub dono pneumatis
Suscepit Barbara;

1b. Clara progenie
Quae orta creditur
Ac pulchritudine
Mira non laeditur
Per hostis barbara.

2a. Turris dum struitur
Paternis jussibus,
Haec virgo fruitur,
Ut trinis precibus
Fenestris gaudeat.

2b. Designans mystice
Patrem et genitum,
Corde mirifice
Sanctum paraclitum
Amplecti audeat.

3a. Idolis respuens
Libare traditur
Flagellis, relucens
Curata, additur
Christi vox coelitus:

3b. Esto o filia
Firma, quod tecum sum,
Non horrens vilia
Tormenta hostium
Vincis divinitus.

4a. Caput concutitur
Mallei ictibus
Et caro uritur
Longis conflictibus,
Praeses tunc imperat,

4b. Sacrata ubera
Lupinis dentibus
Nervari, verbera
Pleris praesentibus
Augere properat.

5a. Ast vis angelica
Stola cum candida
Contexit coelica
Corporis pandida,
Sponsi praeconium,

5b. Rubet in facie,
Fertur sententia
Tyranni acie
Patris praesentia
Non pavens Dominum.

6a. Cervicem cominus
Ense tunc amputat,
Sed illam Dominus
Coelis approximat
Hymnis angelicis.

6b. Ejus nos hodie
Passio protegat,
Hostem invidiae
Repellens conterat
Viribus coelicis.

Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 392 B. — Miss. ms. S. Floriani XI 394 saec. 14. C. — Cod. S. Floriani XI 234 saec. 15. C. — 1b, 5 hostes AB. — 2a, 1 servitur A, ruitur D. — 3b, 2 quia ABCD. — 4a, 1 Corpus AB. — Mel.: Mittit ad virginem D.

149. De sancta Barbara.

1a. Gaude nova Hierusalem
In te Deus, princeps Salem,
Trino fulgens numine,

1b. Christo novam desponsavit
Sponso sponsam, quam dotavit,
Fidei munimine.

2a. Trinum Deum unum tamen
Patrem, natum, sacrum flamen,
Barbara asseruit;

2b. Quod fenestris propalavit,
Tres dum strui imperavit,
Idola abhorruit.

3a. Sed furore pater tactus,
Hos dum natae sensit actus,
Virginis interitus

3b. Ense ferox machinatur,
Sed per murum pandebatur
Dei nutu exitus.

4a. Pater manet aula clausus,
Haec ipsius cavens ausus
Arctius se abdidit.

4b. Sed hanc pater insecutus,
Quam opilionis nutus
Absconsam mox prodidit.

5a. Ob hoc pastor fit punitus,
Locustarum sensit ritus
Grex mutata specie;

5b. Pater natam tunc invasit
Flagellando, dehinc suasit
Praesidis saevitiae,

6a. Hanc tormentis cruciari;
Martianus praesentari
Sibi jubet virginem.

6b. Hic dum eam contemplatur,
Formam mirans perscrutatur
Fidem et originem.

7a. Haec dum Christum confitetur,
Jussu praesidis torquetur
Abscissis uberibus.

7b. Circum terram fuit vecta,
Stola fit fulgenti tecta,
Hinc torta verberibus.

8a. Sed hac poena consummata
Est a patre decollata
Sponso juncta coelitus;

8b. Quem pro nobis exoretur,
Ut a morte nos dignetur
Salvare divinitus.

Sequent. ms. Cremifanense post. Miss. Roman. imp. 1484. A. — Miss. ms. Salisburgense anni 1431 Cod. bibl. publ. V 3 B 20. B. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 1. saec. 15. C. — 2a, 3 inseruit A. — 2b, 1 Ac fenestris C. — 3a, 2 Hic divinos sensit A. — 3b, 1 Ense caput amputatur B. — 3b, 2 Cui per muros B. — 4a, 6 Sed hanc ipse C. — 4b, 3 Hinc absconsam prodidit B. — 6a, 1 trucidari C. — 6a, 3 jussit AB.

150. De sancta Barbara.

1a. Pange festa gaudiosa,
Laeto plausu gloriosa,
Mater o ecclesia,

1b. Linquens castra Babylonis,
Sponsa facta Salomonis
Est et Sion filia.

2a. In inculta terra crevit,
Quae laudare Deos sprevit,
Vitis saluberrima;

2b. Flore vultus relucebat,
Quo smaragdum excellebat,
Barbara pulcherrima.

3a. Patrem habuisse fatur,
Ut scriptura memoratur,
Nomine Dioscorum,

3b. Mundi rebus praepotentem,
Vanos Deos sed colentem
Juxta ritus temporum.

4a. Turrim altam hic levavit,
In qua caute conservavit
Hanc praedulcem virginem,

4b. Ne quis ejus laetabundam,
Generosam ac jucundam
Cerneret imaginem.

5a. Post hoc volens agere
Et decenter reddere
Idolis mysterium,
Voti sacrificium,
Viae se subegit.

5b. Mox hanc sanctus spiritus
Adiens divinitus
Suo dulci dogmate
Lotam clam baptismate
Sibi praeelegit.

6a. Jubet ergo virgo grata,
Recta fide solidata,
Turris in cacumine

6b. Fenestrarum ut structura
Trina fiat sub figura
Trinitatis nomine.

7a. Pater ejus rediit,
Hujus rei petiit
Causam explicari;

7b. Trinum Deum colere
Sed in unum credere,
Fert, in hoc signari.

8a. Ergo pater taedio
Tactus mox hanc gladio
Cupit interire,

8b. Fugit illa citius
Montis antrum artius
Temptans introire.

9a. Demonstratur a pastore,
Reperitur genitore,
Occidenda ducitur;

9b. Ensis ictum comminatur,
Virgo palmam praestolatur,
Mox ad coelum mittitur.

10a. O amator Jesu care,
Consolari hos dignare
Propter tuam gloriam,

10b. Quantumcunque angustati
Mei dum sunt qui parati
Agere memoriam.

11a. Audit mox se impetrasse,
Audit cuncta consummasse
Per coelestem sonitum,

11b. Audit fore se optatam
Et a Christo invitatam
Coeli ad introitum.

12a. Ergo nos hic te laudantes
Tibi demum fac adstantes,
Martyr Christi Barbara,

12b. Deum nobis fac placatum,
Nostrum tergat ut reatum,
Ne nos mergant tartara.

Miss. Cremsense saec. 15. Cod. Pragens. XII B. 13 A. — Miss ms. Capit Olomucens. 355 saec. 15. B. — Miss. ms. S. Jacobi Brunens. 6 saec. 15. C. — Miss. ms. S. Jacobi Brunens. 8 anni 1494. D. — 2a, 3 salutifera A. — 4a, 2 conseravit A. — 7a, 1 Pater vero rediit A. — 8a, 1 Virgo pater A. — 8a, 2 mox hac A. — 8b, 3 intrare A. — 12a, 1 In quo nos hic AB. — 12a, 2 Tibi Deum A.

151. De sancta Barbara.

1a. Consolare, munde tristis,
Cum sis illustratus istis
Barbarae suffragiis,

1b. Quae, dum saeclo exstat nata,
Christo semper fuit grata
Cunctis beneficiis.

2a. Jura stupent in natura,
Quod paterna in figura
Latent tot opprobria;

2b. Paterna dum furit ira,
Commovetur praefectura
Barbara in filia.

3a. Sponsus ei pollicetur,
Ne voluntas excitetur
Vivendi in saeculo,

3b. Fugit prius, ne vocetur
Nec non viro maritetur,
De turris ergastulo.

4a. Pastor pascens grege oves,
Quam tu, Deus, semper foves,
Hanc prodidit indice,

4b. Oves in locustas versae
Signo divino respersae
Summi throni apice.

5a. Dum carceri mancipatur,
Plaga quaeque hinc sanatur
Dei per antidotum,

5b. Haec a patris ense secta
Ad thalamum sponsi vecta,
Inde complevit votum,

6a. Flagitans, ut omnes sui
Non aptentur poenis lui
Viventes in saeculo,

6b. Te gustando mecum frui,
In fine vitae instrui
Salutari poculo.

7a. Ergo, virgo digne nata,
Nobis in solamen data,
Fac nos ire coelice,

7b. Ut jungamur per te justis
Habitantes nunc in istis
Catervae angelicae.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438. — Die Hs. wimmelt von Schreibfehlern: 1a, 2 illustrans justis. — 1a, 3 suffragia. — 2b, 1 fuit ira. — 3b, 1 Fuit prius. — 6b, 1 Me gustando tecum.

152. De sancta Barbara.

1a. Christi mira vis amoris,
Admirandi est dulcoris
Jesu Christi gratia.

1b. Qua referta est electa
Barbara, pro fide recta
Superat martyria.

2a. Trium typo fenestrarum
Mentis lumen signat clarum
Turris aedificio,

2b. Nervis pater hanc taurorum
Caedit, plagas hinc membrorum
Perfricat cilicio.

3a. Claudit carcer sic afflictam,
Sed non solam sic relictam
Rex coelests visitat.

3b. Suae sponsae miseretur.
Laesae plagisque medetur,
Pugnae vires suscitat.

4a. Sanam pater hanc miratur,
Judicique praesentatur
Evoluta carcere.

4b. Laeta Christum confitetur,
Falsos deos nec veretur
Palam maledicere.

5a. Nuda mox exagitatur,
Usta face laceratur
Latera et ubera,

5b. Christum sibi tunc praesentem,
Albam stolam deferentem,
Conspicit per aera.

6a. Martyr sacra decollatur
Impetrato, quod precatur,
Pro suis cultoribus.

6b. Hanc invitans praestolatur
Christus, sponsam amplexatur
Apparens in nubibus.

7a. Digna laude triumphali,
Nos a morte gehennali,
Virgo victrix, libera,

7b. Fac ut memor sit promissi
Fides pia Jesu Christi
Nostra sanans vulnera.

8. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Margarethae Scheiffart de Merode saec. 15. Cod. lat. 259 Mus. Hungarice. — Mel.: Majestati sacrosanctae. Der Vers: Amen dicant omnia wiederholt die Mel. von Nostra sanans vulnera. — 3b, 9 plagasque videtur Hs.

153. De sancto Bartholomaeo.

1a. Psallat clerus
In laudem Bartholomaei
Die isto,

1b. Vir sincerus
Dat Indis accessum spei
Duce Christo.

2a. Astaroth apostolum
Tacens sensit idolum,
Causa latet,

2b. Res a Berith quaeritur,
Veritas asseritur,
Sanctus patet.

3a. Qui delens simulacra
Per baptismi lavacra
Gentes mundat,

3b. Hinc purgatis sordibus
In novellis cordibus
Fidem fundat.

4a. Fugat ille daemones,
Quibus visis homines
Christo credunt.

4b. Invident pontifices,
Lividi carnifices
Sanctum caedunt.

5a. Morbos verbo medicat,
Regem Deo dedicat,
Fidem veram praedicat
Voce clara.

5b. Astrages rex praecipit,
Sanctum tortor recipit,
Cujus hostes decipit
Mors amara.

6a. Justus extrahitur,
Caesus attrahitur
Vivoque pellis
abstrahitur.

6b. Mox plexus capite
Jam regnat debite
Mortis oblitus
praeteritae.

Grad. ms. Gerusense DK 27 saec. 15. A. — Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. B. — Miss. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacens. 5902. C. — Strophenstellung: 4b, 5b, 4a, 5a. A; 4b, 4a, 5a, 5b. C; 4a, 4b, 5a, 5b B. — 1a, 3 Die illo A. — 1b, 1 Doctor verus B. — 1b, 2 Fert ludis B. — 2a, 1 sq. Astaroth mox idolum Tacens scit apostolum B. — 2b, 1 Rex a A; aberich A; abirith B; abeyreth C. — 3a, 1 Hinc delens B; qui deles A. — 3b, 1 sqq. Aure Polymio Et ipsius populo Fides fundat B. — 4b. 1 sq. Legem dent pontifices Rex jubet carnifices B. — 5a, 3 Fidem vero C; Christum Deum praedicat B. — 5b, 1 sqq. Rex Astries praecipit Cum haec facta praecipit [l: percipit], Cujus hostes decipit Gens amara B. — 5b, 2 Carcer recipit C. — 6a, 1 sqq. Pellis abstrahitur, Capite plectitur, Paradiso suscipitur B. — 6a, 2 fehlt A; 6a, 3 vivus abstrahitur C; vivoque pelle A. — 6b, 1 sqq. Qui regnas debite, Tuo precamine, Bartholomaee, Nos protege B.

154. De sancto Bartholomaeo.

1a. Laudes regi sempiterno
Festo chorus hodierno

1b. Psallat melo dulciore,
Nato regis praecentore.

2a. Volo pater, psallit natus,
Ut, qua tecum sum beatus,

2b. Illic et minister meus
Sit mecum. Bartholomaeus.

3a. In me credens, me confessus,
Post me regem est ingressus,

3b. Princeps regni constitutus,
Tulit crucem me secutus.

4a. Pauper erat, volo dives
Regnet inter coeli cives.

4b. Opes pauperum meorum,
Volo, sit regnum coelorum

5a. Mitis erat et mansuetus,
Possideat terram laetus,

5b. Terram jugiter viventum,
Terram nunquam morientum.

6a. Lugens erat, consoletur,
Flevit, rideat, laetetur.

6b. Esurivit, saturetur,
Sitivit, inebrietur.

7a. Misericors comprobatur,
Passis compatiebatur,

7b. Clementiam sectabatur,
Clementiam consequatur.

8a. Mundus corde servus meus,
Cernat me, qui Homo-Deus,

8b. Noscat solum verum Deum
Me Jesum et patrem meum.

9a. Pacificus habebatur.
Volo pace perfruatur,

9b. Deo similis videtur,
Dei filius vocetur.

10a. Martyr perstitit fidelis,
Merces ejus sit in caelis;

10b. Merces martyrum meorum,
Volo, regnum sit polorum.

11a. Mecum sit electus meus,
Quem elegi ego Deus.

11b. Tecum gaudeat beatus,
Mecum regnet coronatus.

12a. Fac, benigne Dei nate,
Fac in bona voluntate,

12b. Cunctos bonae voluntatis
Tecum esse cum beatis.

Grad. ms. Palat. Vindobon. 13314 saec. 11. add. saec. 12. A. — Grad. ms. Claustroneoburgense 588 saec. 14. B. — 1a, 1 Laudes regis B. — 2a, 1 Volo pater psallat meus B. — 8a, 1 Mitis corde B.

155. De sancto Bavone.

1a. Tuum mundo toti, Bavo,
Sed praesertim sit Gandavo
Celebre solemnium,

1b. Grex insignis de patrono
Plausu mentis, oris sono
Concinat praeconium.

2a. Bavo, sanctitatis norma
Gregi tuo es et forma
Et vivendi speculum,

2b. Tua vita, tui mores
Et virtutum verni flores
Omnem vincunt titulum.

3a. Ut a primis laus taxatur,
Quis non digne admiratur
Virtutum primordia,

3b. Vitae fastus, honor census,
Quae pravorum mutant sensus,
Erant tibi vilia.

4a. Conjugali viduatus
Thoro Christum sequeris,
Per Amandum clericatus
Apicem assequeris.

4b. Apis sagax perfectorum
Vitam, mores adspicis.
Inde tibi vitae morum
Favos dulces conficis.

5a. Coetum fugis popularem,
Fagus prius, post dat larem
Silva vernans fluvio.

5b. Sic abscondis civitatem,
Sic lucernae claritatem
Occultas sub modio.

6a. Frustra fugis, nam veritas
Dicit: in monte civitas
Sita non absconditur,

6b. Neque lucerna luminis,
Plena munere numinis,
Sub modio tegitur.

7a. Tu civitas Christo sita,
Monte pingui, quo munita
Non times insidias;

7b. Tu lucerna dans fulgorem,
Quo das sciri et errorem
Et hostis versutias.

8a. Aurae flatum popularis
Plus declinans, plus laudaris,
Flatu tamen non inflaris
In solido positus.

8b. Qui de mundo te vocavit,
In se petram te locavit,
In se petram solidavit
Sui dono spiritus.

9a. Gandavensis sacer coetus,
In adventu tuo laetus,
Te collegit tuo fretus
Ovanter consortio.

9b. Tibi cella dum paratur,
Virtus latens denudatur,
Nam defunctus vitae datur
Tuo patrocinio.

10a. Ecce qui latere quaeris
Cellae sub angustiis,
Exaltari promereris
Virtutum praeconiis.

10b. Hoc rex ille potens, dives,
Cujus in obsequio
Militasti, suos cives
Ditat beneficio.

11a. Bavo, pater et patrone,
Prece blanda Jesum mone,
Tuos hinc servos eruat
Et portu tuto statuat.

11b. Jesu vita, Jesu bone,
Mediante nos Bavone
Eductos mundi fluctibus
Coeli conscribas civibus.

Miss. ms. Sloterdicense anni 1480. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 148. A. — Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae 1540. B. — 1b, 3 concinit B. — 2a, 2 et fehlt B. — 5a, 2 Favus prius B. — 5a, 3 vernas B. — 7a, 1 sita Christo B. — 8a, 1 Aura AB. — 9a, 1 Gandavenis A; Gandavi venis B. — 11a, 2 Jesum move A. — 11a, 3 Nos hinc B.

156. De sancto Benedicto.

1. Magna laudum

2a. Hymnorumque
promamus
voce solemni

2b. Sancti patris
Benedicti
diem celebrem;

3a. Cujus per orbem
egregia
clarent merita;

3b. Qui mundi vana
deviccrat
oblectamina.

4a. Hic fide fretus,
caritate praecipuus,

4b. Rector modestus,
doctor et apostolicus.

5a. Qui pura munitus
fide, ornatus aperte

5b. Fulgebat in mundo
lumen ut in candelabro.

6a. Nunc perenniter
additus candidis
vitae pascuis,

6b. Quibus gaudia
redolent maxima
cuncta per saecula.

7. Pro nobis semper
imploret.

Grad. ms. Ottoburanum saec. 12. Clm. Monacens. 27130. — 5a, 1 plura.

157. De sancto Benedicto.

1a. Ad mirandum et laudandum
Domini magnalia

1b. Nos invitat atque citat
Patris nostri gloria.

2a. Hic est dictus Benedictus
Nomine, plus gratia.

2b. Quem instruxit et perduxit
Ad se sapientia.

3a. Dei verus et sincerus
Cultor ab infantia

3b. Urit, secat, vincit, necat
Carnis in se vitia.

4a. Domum patris, solum matris,
Res reliquit patrias,

4b. Sciens vere dissidere
Christum et divitias.

5a. Et cunctorum jam justorum
Habens in se spiritum,

5b. Ut sequatur, assequatur
Christum, mutat habitum.

6a. Fugit mundum ut immundum,
Mundi fugit opera,

6b. Eremita fit, ut vita
Vivat magis aspera.

7a. Reluctatur, cum temptatur
Post volatum merulae,

7b. Quem confligunt et affligunt
Vepres et urticulae.

8a. Hic Germanum Capuanum
Promeretur cernere,
Cum exuto carnis scuto
Coelum scandit libere;
Pater natum suscitatum
Suscipit de funere.

8b. Tumens unda transeunda
Fidei remigio
Mauro cedit, dum obedit
Jubentis imperio
Et ad patrem trahit fratrem
Raptum de naufragio.

9a. A profanis, ab insanis
Virus vino jungitur,
Vas signatur et quassatur,
Liquor humi funditur.

9b. Sanctus ferrum audit mersum
Securis in fluvio,
Quo precante stat ut ante
Ferrum in manubrio.

10a. Dum attente tota mente
Solis spectat oculum,
Mundus totus est admotus
Ejus ad spectaculum.

10b. Tandem pressus et defessus
Febrium angustia
Morti cedit et decedit,
Migrat ad coelestia.

11a. O confessor et consessor
Supernorum civium,
Audi vota mente tota
Tibi supplicantium,

11b. Et ad Christum chorum istum
Tersa labe criminum
Post praesentis non manentis
Vitae tranfer terminum.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318 A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17321 B; beide mit Mel. — 7b, 2 verticulae A. — 8a, 3 erwartet man carnis luto: da beide Handschriften scuto bieten und dies immerhin einen Sinn zuläfst, ist die Konjektur vorläufig abzuweisen.

158. De sancto Benedicto.

1a. Benedicti merita
Ut reboet inclita
Laus, tu mentes excita
Prece pia.

1b. Patribus cum ceteris
Pater vere diceris,
Tuis datus posteris
Lux et via.

2a. Tu Henoch dulcedine,
Tu Noe regimine,
Abraham cum semine
Benedictus.

2b. Isaac obediens,
Jacob multa praesciens
Et Joseph proficiens
Vere dictus.

3a. Moyses es regulis,
Josue miraculis
Et David in populis
Nominatus.

3b. Salomon prudentia,
Elias constantia,
Elisaeus copia
Faris datus.

4a. Isaiae veritas,
Jeremiae caritas,
Danielis castitas,
Te commendat.

4b. Te prophetis conscium,
Apostolis socium,
Tuumque martyrium
Mens attendat.

5a. Tu confessor nitidus
Tu es virgo candidus,
Coelum scandens splendidus
Victor fortis.

5b. Nos tecum fac scandere
Mundatos a scelere,
Noli nos deserere
Hora mortis.

Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. A. — Miss. ms. Sanemmeramense anni 1406 Clm. Monacens. 14045. B. — 3b, 4 Faucis datus A.

159. De sancto Benedicto.

1a. Benedicto psallat laetus
Iste coetus,
Alleluja.

1b. Quem perfudit primo flore
Miro more
Lux divina.

2a. Puer signis floruit,
Quia pure coluit
Creatorem,

2b. Vas, quod casu fregerat,
Prece munda reparat
Ad vigorem.

3a. Ad desertum evolat,
Nudus crucem bajulat
Salvatoris.

3b. Ibi carnem macerat,
Ibi pugnans superat
Vim ardoris.

4a. Dum sic Christo militat,
Turmas fratrum excitat
Ad aeterna,

4b. Quibus dux ut patuit,
Apta loca statuit
Ter quaterna.

5a. Eja, pater pauperum,
Per te noxas scelerum
Ignemque tartareum
Evadamus;

5b. Tuis fer auxilium,
Ut post hoc exsilium
Tecum Dei filium
Videamus.

6a. Ora pro tuorum
Statu filiorum
In conspectu
Summi regis,

6b. Ut nos a peccatis
Mundet perpetratis
Et det esse
Dextrae gregis.

Hymni et Sequentiae ms. S. Emmerami saec 15. Clm. Monacens. 14667. — Mel. offenbar: Laetabundus. — 6b, 3 et donet Hs.

160. De sancto Benedicto.

1a. Salve pater, salve pie,
Auctor monachalis viae,
Te collaudat in hac die
Unitas ecclesiae.

1b. Per te fides solidatur,
Error omnis effugatur,
Norma veri praedicatur
Consonante gratia.

2a. Tua dulcis est doctrina,
Quia morum disciplina
Fit verborum copula,

2b. Flore mundum brevis aetas
Spernit gaudens et secretas
Partes petit eremi.

3a. Mente, sensu, nisu toto,
Corde, ore, voce, voto
Se conjunxit Domino;

3b. Latet prius in caverna,
Mundi lampas et lucerna
Juncta post candelabra.

4a. O oliva pietatis,
Guttam stillans honestatis,
Medicina languidis,

4b. Quae plantata secus rivos
Fructus reddit tempestivos
Domini in vinea.

5a. Ecce lignum caritatis
Liliumque castitatis,
Flos obedientiae,

5b. Quem delectat hujus fructus,
Illi primi patris luctus
Vertitur in gaudium.

6a. Haec est domus Salomonis,
Quae supernis freta donis
Septiformis spiritus

6b. Nulla frangitur procella,
Quia puri cordis cella
Christo fit hospitium.

7a. Et quis valet promere,
Quam sit dulcis onere,
Quo portantur omnia;

7b. Felix, inquam, anima,
Quae sic gustat intima
Verae lucis commoda.

8a. O beate Benedicte,
Tuis legibus addictae
Opem fer familiae;

8b. Pastor bone et fidelis,
Qui cibaris nunc in caelis
Angelorum pabulo,

9a. Assistentes tuis festis
Hierusalem fac coelestis
Frequentare sabbata,

9b. Et solutos hac arena
Paradisi ad amoena
Nos transferre satage.

Grad. ms. Lubicense s. sign. saec 14. — 7b, 2 praegustat.

161. De sancto Benigno.

1a. Collaetetur
fidelis concio,
Nam reclusae
quondam sub modio
Benigni reliquiae
Venerantur hodie.

1b. Laetabundus
exsultet Divio,
Nam Benigni
felix opinio
Crevit multifarie
Per partes Burgundiae.

2a. Venit dies
et tempus adfuit,
Quo hic sanctus
ut sol resplenduit,
Qui quandoque
suam retinuit
Claritatem.

2b. Tunc praecisum
lignum spem habuit,
Comam fecit
et rursum floruit,
Dum aegrotis
multis restituit
Sanitatem.

3a. Polycarpus
de coelo monitus
Destinavit
hunc hic antiquitus,
Ut culturam
deserat penitus
Idolorum.

3b. Dum hoc agit
martyr sollicitus,
Catenatur
ducique traditus
Blandimentis
pulsatur primitus
Promissorum.

4a. Sed despectis
promissis omnibus,
Nudis plumbo
perfusis pedibus,
Devorandus
nefandis canibus
Exhibetur.

4b. Digitorum
sub denis ungulbus
Contorquetur
ignitis sudibus,
Sed nequaquam
justus pro talibus
Commovetur.

5a. Bina fuit
perfossus lancea,
Caput virga
percussum ferrea,
Ex quo quaedam
columba nivea
Prosilivit.

5b. Sic frumentum
depulsa palea
Paradisi
fertur in horrea,
Atque ducat
nos ipse postea.
Cum quo vivit.

Miss. ms. S. Stephani Divionens. saec. 15. Cod. Parisiens. 879. — Mel. jedenfalls: Conceptio Mariae Virginis. — 2b, 1 Nunc. 5a, 3 Ex fehlt.

162. De sancto Berchtoldo.

1a. Auge fidem, plebs devota,
Gaude simul mente tota,
Voci jungens opera,

1b. Babylonis regna fuge,
Sunt in quibus falsae nugae,
Transi, curre, propera.

2a. Beatorum intra forum
Laude digna reple thorum,
Vera Sion filia.

2b. Aures Dei supra caelos
Pulsans novum pange melos
In sanctorum milia.

3a. Salus enim sempiterna
Jam Berchtoldum ad superna
Statuit memoria,

3b. Omnis rei conditorem
Per beatum confessorem
Laudet summa gloria.

4a. Rex in coelis locum dedit
Justus Dei quem insedit
Intrans absque macula,

4b. Talem colunt hi, qui volunt
Possidere vitae verae
Clara tabernacula.

5a. O virtutis magnae bonum,
Quia patrem et patronum
Novimus in gratia,

5b. Lumen solis expavescit,
Ubi stella super crescit
Multa coeli spatia.

6a. Finis mundi vertit horam
Sanctitatis in auroram
Nova sub laetitia,

6b. Vere Deus est fidelis,
Qui mercedem sic de caelis
Fudit in servitia.

7a. Spem habemus illo die,
O Berchtolde, pater pie,
Tua sub praesentia,

7b. Quando judex orbem cunctum
Ad extremum ducet punctum
Duplici sententia.

Cod. Mellicensis 617. saec. 15. Daraus bei H. Pez Scriptt. rer. Austr. II. p. 136 sq. und danach Acta SS. Julii VI 470.

163. De sancto Bernhardo.

1a. Salve, doctor veritatis,
Mundo propinasti gratis
Aquam sapientiae,

1b. Nomen tuum est Bernhardus,
Via tua quasi nardus
Vim habet redolentiae.

2a. Tantum patrem Claraevallis,
Sacrum ducem recti callis
Collaudat ecclesia,

2b. Qui Deo multum devotus
In hac vita fulsit totus
Spiritali gratia.

3a. Dux Bernharde monachorum,
Summo regi paras thorum
Mentis pulchritudine.

3b. Peccati contemnis lutum,
Et quod mirum est, virtutum
Ambulas in culmine.

4a. Tu pius et humilis,
Pudicus amabilis
Verbi nites radio.

4b. Tu amas ferventius,
Tu curris decentius
Hujus vitae stadio.

5a. Ad laudem altissimi
Et salutem proximi
A recto non devias,

5b. Doctor mundo celebris
Sedentes in tenebris
Velut sol irradias.

6a. Tu decus devotionis
Et flos contemplationis,
Lustrator coelestium,

6b. Tu religionis norma,
Non es absque Dei forma
Creatoris omnium.

7a. Tu carnis abhorres crimen,
Gustatum nescis sanguinem
Absorptus a spiritu,

7b. Mulierem ut sentinam
Spernis lecto jam vicinam
Salutis intuitu.

8a. Verecundus ut puella,
Libenter manens in cella,
Observans silentium.

8b. Sororem mundo absorptam
Facis vocatus ad portam
Unam poenitentium.

9a. Sol luna lucidior
Et luna sideribus,
Sic Bernhardus clarior
Est Clarevallensibus.

9b. Lux eclipsin nesciens
Bernhardi est claritas,
Ardor indeficiens
Amantis est caritas.

10a. Salve pater pie, Christi
Qui habere meruisti
Dei infusam gratiam,

10b. Liquet hoc tuis in verbis,
Quibus sanas velut herbis
Laesam conscientiam.

11a. O Bernharde, vas pudoris,
Mala nostra pelle foris,
Angelorum junge choris
Subjectos discrimini.

11b. Coeli residere thronis
Fac ut terrae det colonis
Thronus veri Salomonis,
Virgo mater Domini.

12a. Virgo mater verbi Dei,
Fulcimentum nostrae spei,
Fac nos obedire ei,
Ne inveniamur rei
Hora mortis asperae.

12b. Virgo viri prece talis,
Servi tui specialis,
Da spem pugnae triumphalis,
Tripudiare de malis,
Da post mortem vivere.

Grad. ms. Sedlicense saec. 15. ex. Cod. Pragens. XIII A 5 c. A. — Cant. ms. Vissegradense V C c η saec. 15. B. — 3a, 3 Mirae pulchritudinis B. — 3b, 3 Ambulans B. — 5a, 3 Armato non B. — Mel. — Salve mater Salvatoris.

164. De sancto Bernhardo.

1a. Haec Bernhardi patris festa
Sacri sacro plebs modesta
Canat gaudimonio.

1b. Is quis, qualis, quantus pridem
Foret vita, gestis quidem
Patet testimonio.

2a. Nitet bino ex parente
Claro clarus excolente
Dominum per omnia.

2b. Rufum dorso se gestantem
Ejus matris en latrantem
Praecinere somnia.

3a. Infans natus jam docetur.
Docet, latrat et medetur.
Quosque sapientia;

3b. Calet igne, digne castus
Cassat astus, damnat fastus.
Floret innocentia.

4a. Vitat mundum, ad processus
Se salubres dans, professus
Jam fit in Cistercio.

4b. Sopor raro inest ei,
Pernox stat in via Dei
Celebri commercio.

5a. De terrenis nil exposcit,
Sed, quae sursum sunt, dinoscit
Lege fidus Domini,

5b. Dulcor ipsi paupertatis
Vita est, quam porro satis
Suo censet homini.

6a. Rigat fletu genas multo,
Dum perorat in occulto
Hilaris exterius,

6b. Intra Claraevallis septa
Abbas sacra mox incepta
Satagit uberius.

7a. Normam servat et servari
Jubet claustri voto pari.
Nullum demit gratia.

7b. Hic plerisque infirmatis
Sanitatem, tribulatis
Laeta fert solatia.

8a. Visum caecis, sed auditum
Surdis praestat expeditum
Et fugat daemonia.

8b. Sane figit claudis gressum,
Adstringentis sinit pressum
Febris acrimonia.

9a. Excellenti scripturarum
Libros stilo divinarum
Explet hic eximius,

9b. Nexu carnis hinc laxatur,
Fratres accit, commendatur
His amor sublimius.

10a. Orat et meretur Christi
Regno justus pie sisti
Post haec transitoria;

10b. Ipsum ergo deprecemur.
Ut sodales ei demur
In coelesti gloria.

Grad. ms. Margarethae Scheiffart de Merode saec. 15. Cod. lat. 259. Musaei Hungarici. — Mel.: Majestati sacrosanctae.

165. De sancto Bernhardo.

1a. Fulget mundo lux solemnis,
Quam decorat laus perennis
Et jugis memoria

1b. Hac in die, qua Bernhardus
Dans odorem velut nardus
Schematur in gloria.

2a. Alvo matris adhuc clausus,
Mundo novos dat applausus
Catelli per somnium.

2b. Illi Christus incarnatus
De virgine quando natus
Monstrat puerperium.

3a. Fraudes vitat feminarum
Ut praedones animarum
Sectator hic virtutis,

3b. Deo praebens coelibatum
Se conservat illibatum
Tempore juventutis.

4a. Valefacit parentibus.
Crine tonso cum fratribus
Sanctum quaerit otium,

4b. In exemplum sancti callis
Adstruendo Claraevallis
Nititur coenobium.

5a. Urbes horrens, castra, pagos
Inter quercus atque fagos
Vacat coeli curiae.

5b. Cor succendit in amorem,
Carnem tractat ad laborem,
Martham jungit Mariae.

6a. Gulam frenat saporibus,
Vestes carent splendoribus
Sorde tamen dejecta;

6b. Detestatus vanitatem
Semper amat caritatem
Paupertate subjecta.

7a. Sanctitatis ob tenorem
Praesulatus ad honorem
Poscitur a populis,

7b. Sed hac gemma singulari
Non vult fratres defraudari
Christus rex in saeculis.

8a. Haereticos insectatur,
Quos confutat, dum luctatur
Publico certamine;

8b. Fidem dictis roboravit,
Libris claris, quos dictavit
Venusto dictamine.

9a. In argumentis virtutis
Multa signa dat salutis
Ac sensibus restitutis
Expulit daemonia.

9b. Ecclesiarum tyrannos
Acres nimis atque magnos
Per censuram reddit agnos,
Jussa complent omnia.

10a. O Bernharde, coeli cultor,
Vitae nostrae sis consultor,
Per te Christus, justus ultor,
Offensarum sit indultor
Largitorque veniae.

10b. Ut in arce summa poli
Sociemur vero soli.
Regi regum, digno coli,
In quo sistunt et assistunt
Perennes deliciae.

Miss. ms. S. Stephani Divionensis saec. 15. Cod. Parisiens. 879. — 9b, 2 Arces. — 10a, 4 sis indultor.

166. De sancto Bernhardo.

1a. Gaude caelum, terra plaude,
Extra velum digna laude
Revelata facie,

1b. Christo psalle, qui dilexit
Et in valle nos respexit
Luctus et miseriae.

2a. Patrem illum nobis dando,
Qui vexillum praedicando
Suae crucis extulit,

2b. Verbo suavi, pio gestu,
De conclavi multo quaestu
Mundo palam retulit,

3a. Quam sit bonus requirenti,
Carnis onus contemnenti.
Pius Jesus animae.

3b. Bonam nardum longe sparsit,
Per Bernhardum qui exarsit
Vere dulcis flamine.

4a. Ob virtutis incrementa
Surdis, mutis fulcimenta
Sanitatum praestitit,

4b. Ab obsessis daemon cedit,
Morbo pressis salus redit,
Sibi par non exstitit,

5a. In aetate successiva
Qui tam late frequentiva
Horum luce fulserit,

5b. Quaevis Scylla tempestatis
Fit tranquilla valde satis,
Ubi praesens aderit.

6a. In amoenum locum cellae
Vino plenum mixto melle
Regis introducitur,

6b. Quo paratus bene mero
Et armatus zelo vero
In lucem progreditur.

7a. Foris, intus margaritis
Fit distinctus, blandus, mitis
Gravisque precatibus,

7b. Castus, prudens et pudicus,
Paci studens, inimicus
Solum fuit sordibus.

8a. O Bernharde, pastor bone,
Nos jam tarde in agone
Confligentes respice,

8b. Tua prece solve molem
Et de faece duc ad solem
Claritatis coelicae.

Miss. ms. Scotorum Vindobonens. 55 a 3 saec. 15. B. — Miss. ms. Inderdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. B. — 2b, 1 pio gustu AB. — Mel. vermutlich: Gaude Sion quod egressus.

167. De sancto Bernhardo.

1a. Dum coelestis figulus,
Ut suis fidelibus
Nectar propinaret,

1b. Et ornatum moribus,
Igne sancti spiritus
Sibi vas dotaret;

2a. Electus ex milibus
Bernardus fidelibus
Dignus reperitur,

2b. Et ut aurum obrizum
Ex virtute rutilum
Patris expolitur.

3a. Qui de loco gloriae
Per fluenta gratiae
Coelitus repletur,

3b. Ut morbus fidelium
Plurium ad pristinum
Morsque relevetur.

4a. Hic pluit virtutibus
Corruscat miraculis
Divae majestatis,

4b. Scriptis et sermonibus
Ex rivis coelestibus
Sibi destillatis.

5a. O misericordia
Patris et potentia,
O virtus divina,

5b. Ut de vase luteo
Velut ab empyreo
Stillat medicina.

6a. Talis a Christicolis
Et veris coelicolis
Digne veneratur,

6b. Qui inaestimabilis
Vultum pulchritudinis
Patris contemplatur.

7a. Ergo, pater inclite,
Preces nostras suscipe,
Ut te veneremur,

7b. Digne cum angelicis
Choris et virgineis
Tecum collaetemur.

Clm. Monacens. (ol. S. Emmerami) 14 926. saec. 15. — Mit Mel.

168. De sancto Bernwardo.

1a. O beata beatorum
Angelorum gaudia,

1b. Cum Bernwardus coeli chorum
Intravit cum gloria.

2a. Qui in terris fulget signis
Et floret virtutibus,

2b. Illum semper condecenter
Veneremur laudibus.

3a. Fide, voto, corde toto
Hic adhaesit Domino,

3b. Transit mundum hunc immundum
Cum flore virgineo.

4a. Carceratos, desperatos,
Defunctos et languidos,

4b. Excaecatos et vexatos
Liberavit plurimos.

5a. Dum translatae sunt beatae
Bernwardi reliquiae,
Tunc in fossa ejus ossa
Redoleruunt optime.

5b. Hic contemptor mundanorum
Possidet coelestia,
Et collaudat angelorum
Principem in saecula.

6a. Ergo factus nunc cohaeres
Christo in coelestibus

6b. Apud ipsum vota nostra
Promove cum precibus.

7a. Ut post hujus finem vitae
Et post transitoria

7b. In perenni mereamur
Exsultare gloria.

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic. 1486.

169. De sancto Blasio.

1a. Sancti martyris Blasii,
Pontificis eximii,
Agentes solemnia

1b. Hinc ex corde jubilemus,
Semper quoque flagitemus
Ejus patrocinia.

2a. Qui natus in Sebastia
De sublimi prosapia
Oriundus patuit,

2b. Morum tamen nobilitas
Ac ejus vitae sanctitas
Dignius emicuit.

3a. Probat hoc eventus rei,
Namque dum athleta Dei
Persequentis rabiem

3b. Fugit in montem Argei,
Bestiae ministrant ei
Postulantes requiem.

4a. A morte salvat puerum,
Lupum reducit iterum,
Ut praedam restituat;

4b. Suspensus in equuleo
Gratulatur laetus Deo
Aquae vim evacuat.

5a. Clarior sole splenduit,
Cum nube vox apparuit,
Postremo decollatur;

5b. Pro his et multis aliis
Suis sanctis suffragiis
Nostri misereatur.

Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. — 3b, 1 montem Arigei Hs.

170. De sancto Cassiano.

1a. Gaude, felix Brixina,
Recolens solemnia
Cassiani martyris,

1b. Cujus Dei gratia
Fidei notitia
Es imbuta monitis.

2a. Praeclarus hic pontifex
Et virtutum artifex
Unctus sancto flamine,

2b. Pugil invictissimus,
Fide constantissimus,
Fortis in certamine.

3a. Praedicator inclitus,
Martyr et eximius,
Dulcis pastor ovium,

3b. Fidei catholicae
Cultor et ecclesiae
Tutor est fidelium.

4a. Judicum sententia
Datur ad supplicia,
Dum non libat idolis,

4b. Vincitur, confoditur,
Ferro, stylis scinditur
Suis a discipulis.

5a. Expleto martyrio,
Nactus vitae bravio
Fruitur coelestibus.

5b. Praesul urbis Sabionae,
Nos agnosce, pastor bone,
Coeli jungens civibus.

Miss. ms. Brixinense anni 1372. Cod. Oenipontan. 295. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

171. De sancto Castulo.

1a. Jubar miri luminis,
Sidus almi numinis,
Clarae lucis radio
Mundi clarens stadio,
Vox sonora concrepet,
Symphonia perstrepet
Castulum zetarium.

1b. Valens decus militum,
Roseorum stipitum
Martyrum flos purpurans,
Vanis hic remurmurans
Idolorum cultibus,
Mansit in insultibus
Fidei armarium.

2a. Noscens belli seria
David per mysteria
Pergit ad imperia
Summi regis strenuus,
A terrenis vacuus
Crucem tollit, sequitur
Christum et amplectitur.

2b. Casse virgis caeditur
Et plumbatis laeditur,
Pensus sic aggreditur
Poenas ter equuleas,
Granum linquit paleas
Post tormenta varia
Massa arenaria.

3a. Tu virtutum largifer,
Triumphalis armiger
Protege nos, Castule,
Ne crudelis hastulae

3b. Laedat daemon callidus,
Patronatus validus
Det post transitoria
Frui coeli gloria.

Grad. ms. Mosburgense anni 1360. Cm. Universit. Monacens. 157. A. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. B. — Miss. ms. Monacense 23054. saec. 15. C. Cfr. Miss. Frisingense imp. 1579. — Mel.: Mundi renovatio A.

172. De s. Christino cum fratribus.

1a. Dies ista veneranda
Pandit nobis celebranda
Martyrum solemnia,

1b. Exsultemus omnes rei
Et cantemus laudes ei,
Qui regnat cum gloria.

2a. Laudes Deo fratres dabant,
Dum se virgis vapulabant
Pro Christo asperrimis,

2b. Miserere personabant,
Jesum Christum invocabant
Corde cum suspiriis.

3a. Hi de multis tacuerunt
Et se nullos crediderunt
Detestantes vitia,

3b. Regi Christo adhaeserunt,
Florem mundi calcaverunt
Devitantes crimina.

2a. Qui in terris fulget signis
Et floret virtutibus,

2b. Illum semper condecenter
Veneremur laudibus.

3a. Fide, voto, corde toto
Hic adhaesit Domino,

3b. Transit mundum hunc immundum
Cum flore virgineo.

4a. Carceratos, desperatos,
Defunctos et languidos,

4b. Excaecatos et vexatos
Liberavit plurimos.

5a. Dum translatae sunt beatae
Bernwardi reliquiae,
Tunc in fossa ejus ossa
Redolerunt optime.

5b. Hic contemptor mundanorum
Possidet coelestia,
Et collaudat angelorum
Principem in saecula.

6a. Ergo factus nunc cohaeres
Christo in coelestibus

6b. Apud ipsum vota nostra
Promove cum precibus.

7a. Ut post hujus finem vitae
Et post transitoria

7b. In perenni mereamur
Exsultare gloria.

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic. 1486.

169. De sancto Blasio.

1a. Sancti martyris Blasii,
Pontificis eximii,
Agentes solemnia

1b. Hinc ex corde jubilemus,
Semper quoque flagitemus
Ejus patrocinia.

2a. Qui natus in Sebastia
De sublimi prosapia
Oriundus patuit,

2b. Morum tamen nobilitas
Ac ejus vitae sanctitas
Diguius emicuit.

3a. Probat hoc eventus rei,
Namque dum athleta Dei
Persequentis rabiem

3b. Fugit in montem Argei,
Bestiae ministrant ei
Postulantes requiem.

4a. A morte salvat puerum,
Lupum reducit iterum,
Ut praedam restituat;

4b. Suspensus in equuleo
Gratulatur laetus Deo
Aquae vim evacuat.

5a. Clarior sole splenduit,
Cum nube vox apparuit,
Postremo decollatur;

5b. Pro his et multis aliis
Suis sanctis suffragiis
Nostri misereatur.

Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. — 3b, 1 montem Arigei Hs.

170. De sancto Cassiano.

1a. Gaude, felix Brixina,
Recolens solemnia
Cassiani martyris,

1b. Cujus Dei gratia
Fidei notitia
Es imbuta monitis.

2a. Praeclarus hic pontifex
Et virtutum artifex
Unctus sancto flamine,

2b. Pugil invictissimus,
Fide constantissimus,
Fortis in certamine.

3a. Praedicator inclitus,
Martyr et eximius,
Dulcis pastor ovium,

3b. Fidei catholicae
Cultor et ecclesiae
Tutor est fidelium.

4a. Judicum sententia
Datur ad supplicia,
Dum non libat idolis,

4b. Vincitur, confoditur,
Ferro, stylis scinditur
Suis a discipulis.

5a. Expleto martyrio,
Nactus vitae bravio
Fruitur coelestibus.

5b. Praesul urbis Sabionae,
Nos agnosce, pastor bone,
Coeli jungens civibus.

Miss. ms. Brixinense anni 1372. Cod. Oenipontan. 295. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

171. De sancto Castulo.

1a. Jubar miri luminis,
Sidus almi numinis,
Clarae lucis radio
Mundi clarens stadio,
Vox sonora concrepet,
Symphonia perstrepet
Castulum zetarium.

1b. Valens decus militum,
Roseorum stipitum
Martyrum flos purpurans,
Vanis hic remurmurans
Idolorum cultibus,
Mansit in insultibus
Fidei armarium.

2a. Noscens belli seria
David per mysteria
Pergit ad imperia
Summi regis strenuus,
A terrenis vacuus
Crucem tollit, sequitur
Christum et amplectitur.

2b. Casse virgis caeditur
Et plumbatis laeditur,
Pensus sic aggreditur
Poenas ter equuleas,
Granum linquit paleas
Post tormenta varia
Massa arenaria.

3a. Tu virtutum largifer,
Triumphalis armiger
Protege nos, Castule,
Ne crudelis hastulae

3b. Laedat daemon callidus,
Patronatus validus
Det post transitoria
Frui coeli gloria.

Grad. ms. Mosburgense anni 1360. Cm. Universit. Monacens. 157. A. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. B. — Miss. ms. Monacense 23 054. saec. 15. C. Cfr. Miss. Frisingense imp. 1579. — Mel.: Mundi renovatio A.

172. De s. Christino cum fratribus.

1a. Dies ista veneranda
Pandit nobis celebranda
Martyrum solemnia,

1b. Exsultemus omnes rei
Et cantemus laudes ei,
Qui regnat cum gloria.

2a. Laudes Deo fratres dabant,
Dum se virgis vapulabant
Pro Christo asperrimis,

2b. Miserere personabant,
Jesum Christum invocabant
Corde cum suspiriis.

3a. Hi de multis tacuerunt
Et se nullos crediderunt
Detestantes vitia,

3b. Regi Christo adhaeserunt,
Florem mundi calcaverunt
Devitantes crimina.

2a. Documenta vitae clara
Doctor dedit Clarae,
Quae complevit virgo clara
Clausura praeclare.

2b. Sponsa zelus in praeclara
Novit declarare,
Quod thalamo sponso cara
Clausa debet stare.

3a. Clara praeclara sanguine,
Vultu praeclarior,
Clara clarescit nomine,
Moribus clarior.

3b. Accincta fortitudine
Mulier fortior,
Clausa stat artitudine,
Ut sit securior.

4a. Radiosa claritate
Lapsa de supernis
Solem in immensitate
Christum clare cernis.

4b. Clara, plena caritate,
Clara mundi spernis
Summa fruens bonitate
Ima non discernis.

5a. Post dolorem ex amara
Christi passione
Fusa clares in praeclara
Contemplatione.

5b. Gaudens gaudes clari clara
Christi visione,
Opem nobis, dulcis Clara,
Fer oratione.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisiens. 1339. — Mit Mel.

176. De sancta Clara.

1a. Rex per portum caritatis
Intrans hortum castitatis
Novum florem colligit,

1b. Dum praeclaram rosam Claram,
Mundo raram, sibi caram,
Sponsam sibi eligit.

2a. Haec signata necdum nata
Icone praesagio,
Fulsit clarens, ut sit carens
Peccati contagio.

2b. Nam timenti matri flenti
De partus periculo,
Nuntiatur, quod lex datur
Per hanc nova saeculo.

3a. Domo patris cura matris
Divinis juncta nexibus,

3b. In absonso Christo sponso
Cordis vacat amplexibus.

4a. Hinc Francisci documentis
Adipisci studet mentis
Et carnis munditiam,

4b. Sacrum flamen hanc instigat
Dans juvamen, dum castigat
Se per abstinentiam.

5a. Multis signis fide dignis
In hac vita claruit,
Morbos pellens et evellens
Hostes ut apparuit.

5b. Orat sponsum, qui responsum
Dat in eucharistia,
Plebs salvatur, dum fugatur
Hostilis molestia.

6a. Augmentavit panem, pavit
Turbam coetus virginei,

6b. Vas impletur, dum praebetur
E coelo liquor olei.

7a. Post ad mortem appropinquat,
Mundi sortem ut relinquat,
Tendens ad coelestia,

7b. Morituram se praedixit,
Recessuram benedixit
Papalis praesentia.

8a. Hanc Maria, mater pia,
Visitavit languidam
Et coelestem sibi vestem
Praesentavit candidam.

8b. Scandit caelos, ubi melos
Canit cum virginibus,
Agnum sequens manet frequens
In laudum carminibus.

9a. Ergo, Clara, nunc declara
Virtutem tui nominis

9b. Ut protectos et directos
Ducatu veri luminis

10a. Nos a nece tua prece
Christus demptos et exemptos
Cura perducat sedula,

10b. Ubi uncti Deo juncti,
Cum quo gaudes, canunt laudes
Per infinita saecula

Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. A. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 8. B. — Miss. ms. quodlibeticum saec. 15. ex. Cod. Pragens. XII A 17. C. — 1a, 1 per ortum C. — 2a, 2 Hictone C. — 7a, 1 Dum ad mortem C. — 9b, 1 Et protectos C. — 10a, 1 Nos a faece C. — 11b, 2 quo fehit A.

177. De sancta Clara.

1a. Lucis novae claritas
Illustrat ecclesiam,
Quam insignit sanctitas
Nova Clarae.

1b. Praecellens humilitas
Redundans in gratiam,
Laudis et sublimitas
Tam praeclarae.

2a. Haec in matris utero
Quasi lumen radians
Mundo fore misero
Praesignatur.

2b. Quae clara progenie,
Sacris rebus inhians,
Sub virtutum serie
Regulatur.

3a. Haec Francisci filia
Et lapis primarius
Inclusarum, praevia
Dux virtutis.

3b. Quarum multa milia
Sequuntur ardentius
Ejusdem vestigia
Spe salutis.

4a. Crebrescunt miracula
Ob vitae praeconium,
Approbantur singula
Fide plena.

4b. Liquor crescit olei
Ac panis edulium,
Pars fugatur fidei
Aliena.

5a. Mors Christi praesentia
Ac sacratae virginis
Et coelestis curia
Honoratur.

5b. O quam clarus exitus,
Per quam sacri flaminis
Donum nobis coelitus
Largiatur.

Miss. ms. Franciscano-Romanum saec. 15. Cod. Parisiens. 9445. — 1a, 3 insignat. — 2a, 1 Nec in matris. — 2b, 1 Ave clara, letztere beiden Irrtümer veranlafst durch den Rubricator.

178. De sancto Clemente.

1a. Adest dies celebris,
Qua fulsit in tenebris.
Divina clementia

1b. Jam detectis latebris
Et erectis palpebris;
Pulsa somnolentia

2a. Chorus hic in gaudio
Miro cum tripudio
Recolat supplicia,

2b. Quae sunt arta devio,
Sed Clemente praevio
Fiunt justo mitia.

3a. Stirpe Clemens nobilis
Cunctis est amabilis
Fulgens Christi gratia,

3b. Dulcis et affabilis,
Multis acceptabilis
Fit ejus praesentia.

4a. Quem zelans Sisinnius
Et uxorem anxius
Quaerens in ecclesia
Torquetur insania.

4b. Surdus, caecus, inscius
Aedem girat ocius,
Furens in amentia,
Quae vastat praecordia.

5a. Uxor plorat, Clemens orat,
Vir profanus et insanus
Tractus ab ecclesia

5b. Dum palescit et tabescit,
Saxa volvit et revolvit
Servorum stultitia.

6a. Clemens adstat et precatur,
Infidelis indignatur,
Luditur saevitia,

6b. Error cedit, fides datur,
Baptizatus emundatur
Ab omni spurcitia.

7a. Plebs in litem excitatur,
Papa Clemens exsulatur,
Dum parantur navigia,
Fit luctus in ecclesia.

7b. Relegati gratulantur,
Quod a patre visitantur,
Sublevatur inopia
Fontis adepta copia.

8a. Nam Clemente procurante
Adest agnus, quo monstrante
Lympharum affluentia
Locum replet laetitia.

8b. Sic daemones effugantur,
Templa Christo conferantur,
Dolet hostis perfidia
Clementis ad praeconia.

9a. Lex infausta promulgatur,
Ut submersus exstinguatur,
Sed in mari conservatur
A coeli militia.

9b. Cujus manu praeparatur
Templum, ubi veneratur,
Hic naturae vis miratur,
Freta fiunt pervia.

10a. Turba currens admiratur,
Clerus omnis gratulatur,
Vota solvit, cum sol volvit
Annua solemnia.

10b. Et nos idem faciamus,
Trinitati serviamus,
Ut Clementi conjungamur
In aeterna gloria.

Amen dicant omnia.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17321. B. Beide mit Mel. = Mane prima Sabbati. — 5a, 1 Vox plorat B. — 7b, 1 Relegari gratulantur A.

179. De sancto Corbiniano.

1a. Congaudentes jubilemus
Christo regi gloriae,

1b. Statuentes in supernis
Terminum laetitiae

2a. Quo donante gaudiorum
Abundat materia,

2b. Dum de patre mater sancta
Laetatur ecclesia.

3a. Cujus sumus, quam plantavit
Verbo vitae, vinea,

3b. Quos rigavit per exempla
Morum salutaria.

4a. Felix confessor,
Cujus fuit sanctitatis
Judex fera bestia,

4b. Quae dum jubetur
Laesum placat atque lenit
Mira per obsequia.

5a. Erat vir prudens animo,
Temperans in prosperis,
Fortis in adversitate
Famosus justitia,

5b. Mundus in mundo positus,
Mundi transitoria
Sprevit toto, corde tendens
Ad supercoelestia.

6a. Quidam latro perimendus
Crucisque triduo
Patibulo suspensus
Prece sancti liberatur.

6b. Vini musto fervescente
Spinamque vasculo
Vi valida pellente
Liquor tamen conservatur.

7a. Ut priore testamento
Vates amens a jumento
Prudenter corripitur,

7b. Ita sancti subjugale
Cohibens exitiale
Furtum tacens loquitur.

8a. Dum artarent se sequentes
Et jam paene diffidentes
Labor et inedia,

8b. Statim adest consolator
Et amovit vitae dator
Utriusque taedia.

9a. Ex ipsius dono venit
Sanitatum copia,

9b. Quae morborum vires lenit
Copiosa gratia.

10a. Nos qui tuae pietatis
Servi sumus sed peccatis
Depressi succumbimus,

10b. Gloriose Corbiniane,
Manus tuae salutare
Munus confer quaesumus.

11a. Ut qui tua veneramur
Devotis obsequiis
Praeconia,

11b. Coronari mereamur
Te favente perpetim
In gloria.

12a. Ubi bonum singulare,
In quo solo singula,

12b. Ibi opus et corona
Laus Dei per saecula.

13. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Scotorum Vindobon. 55 a 3 saec. 15. A. — Cod. Palat. Vindobon. (ol. Lunaelacens.) 4977. saec. 15. B. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. C. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 24 002. D. — Grad. ms. Mosburgense anni 1360. Cm. Univ. Monacens. 157. E. — Mel.: Congaudentes exsultemus. — 5b, 4 Ad superna coelestia A. — 13 fehlt B.

180. De sancto Cornelio.

1. Jubilemus
aeterno regi
voce praeclarissima

2a. Et debita praeconia
recinant cordis intima,

2b. Semper quae manent, jugia
erunt nunc et in saecula.

3a. Quia decet summa
laus eum, honor, virtus,
et gloria,

3b. Qui sanctis aeternam
militibus tribuit
laetitiam.

4a. Labentis quos nequivit
temporis
vincere malitia

4b. Nec potuere ulla
terrere
saeculi convicia.

5a. Cui beatus
militans Cornelius papa
Sprevit Decii
truculenta
minarum jussa
et adolere thymiama

5b. Ductus ad templum
Martis adorare statuam
Spuens in eam
inquit: tales
dii pereant
coeli et mundi de fabrica.

6a. Hoc tyrannus audito
jussit, plumbatis
ut caederentur ejus ora

6b. Et tandem post acerba
poena tormenta
adjecit decollari ἄνδρα.

7a. Illiso
papa gladio saevientis
victor adivit
coelestis regna regis
sedentis patris dextra;

7b. Et cujus
convicit institutione.
junctus est ei
beata percipiens
dignissime praemia.

8a. Quem supplicantes
petimus mente devota,

8b. Ut poscat nobis
relaxari punienda.

9a. Sanctorum
atque mereamur
consortia

9b. Cum ipsis
et carmina sancta
concinamus

10. In aethera
per cuncta saecula.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 318. mit Mel. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 319. B. — 2 b, 1 manens B. — 4 a, 1 Latentis quod B. — 5 b, 3 in ea. AB. — 7 a, 1 Illaeso B. — 7 a, 5 ad dexteram AB. — 8 a, 1 petimus supplicantes AB.

181. In die adventus ss. Cornelii et Cypriani.

1. Celsa poli sidera
Mundum illustrantia
Rutilant in gloria,

2a. Horum patrociniis
Nostra plena gaudiis
Resultat ecclesia,

2b. Quorum prece tutior
Transit et securior
Per mundi naufragia.

3a. Hi beati praesules,
Quamvis fiant exsules,
Tamen Christi gratia

3b. Signis, vita nobiles
Persistunt immobiles
Inter tot supplicia.

4a. Hinc milites Decii
Monitis Cornelii
Contemnentes praemia
Regis et imperia

4b. Baptizantur pariter,
Mortem unanimiter
Perferentes gaudia
Subeunt coelestia.

5a. Cerealis uxor malis
Fatigatur sed sanatur
Papae per suffragia,

5b. Quae dum credit et obedit,
Baptizatur et testatur
Christum super omnia.

6a. O Corneli, pater pie,
Tu levamen ac solamen
Intuens fragilia

6b. Nos defende, nos exaudi,
Placa ventos, mare leni
Comprimendo vitia.

7a. Ave, praesul gloriose
Ave, pater generose,
Cypriane, melliflua
Fundens nobis eloquia.

7b. Tu rectores et doctores
Instruendo monstra flores,
Rosis si desunt lilia
Castitatis insignia.

8a. O praeclara societas,
In qua regnat sobrietas,
Ferro caesa sed illaesa
Manet patientia

8b. Vos, patroni, veneramur,
Ut audiri mereamur
Et in coelo perfruamur
Perenni laetitia.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17317. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318. B. — Miss. ms Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17321. C. — Mel. — Mane prima Sabbati BC. — 4a, 1 militis A. — 6a, 1 O fehlt A.

182. De ss. Cosma et Damiano.

1a. Gratulare, plebs devota,
Et decanta mente tota
Martyrum solemnia.

1b. Horum fides animosa
Et exempla fructuosa
Dant iter ad perennia.

2a. Orti de Arabia
Ex matre Theodora
Virtutibus ornantur,

2b. Illorum per suffragia
Ac pia rogamina
Debilesque sanantur.

3a. Ex gratia divina
Arte utuntur medica
Opere probante,

3b. Curatur Apolladia
A peste diutina
Ipsa attestante.

4a. Cosmas frater indignatur
Propter Apolladiam,

4b. Damianus excusatur
Per Dei clementiam

5a. Probat coxa Aethiopis
Relevamen debilis
Natura mirante,

5b. Laus salvatori canitur,
Dum hoc mirum cernitur
Id eo operante.

6a. Igne, aqua trucidati
Laudem Deo concinunt,

6b. Lapidati, ferro dati,
Mori qui despiciunt.

7a. Satanas confunditur,
Dum femina illuditur
Per ipsius fraudem.

7b. Lysias offenditur,
Dum in poenis despicitur,
Per sanctorum laudem

8a. Ergo sanctis supplicemus,
Ut per eorum merita

8b. Transeamus de hac vita
Ad sempiterna gaudia.

Miss. ms. Oldenburgense 35 saec. 15. — 3b, 3 Ipsam attestante

183. De sancto Cuniberto.

1a. Promat verba cantionum
Patrem colens et patronum
Inclita Colonia,

1b. Laudes pangat Cuniberto,
A patrono quaerens certo
Certa patrocinia.

2a. Aulae regis hic oblatus
Regi servit Deo gratus
Puer clari generis;

2b. Lux sopitum circumfulsit
Rege teste, mox indulsit
Sacer sacris litteris.

3a. Sanctae puer puritatis
Tam doctrinae quam aetatis
Incrementis proficit;

3b. Trevir hunc archilevitam,
Sibi mox archimandritam
Agrippina praeficit.

4a. Spargit opes, templa struit,
Verbi Dei manna pluit
Ovibus opilio,

4b. Visitatur a columba,
Mortem gustat, sacra tumba
Aegris est auxilio.

5a. Salva, pater Cuniberte,
Salva, pastor, tutas per te
Oves tuae pascuae;

5b. Post caducae vitae caulam
Tuum gregem duc ad aulam
Gloriae perpetuae.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15 ex.

184. De sancto Dionysio.

1a. Gaude, turma triumphalis,
Turma pugnae spiritalis
Pollens privilegio,

1b. Turma laeta morte spreta
Rosas plantas et roseta
De crucis martyrio.

2a. Vos de valle visionis,
Vos consortes passionis
Et Christi victoriae,

2b. Vos de throno Salomonis,
Vos de bello Gedeonis
Serta fertis gloriae.

3a. Vos columnae deauratae,
Bases, pelles rubricatae
Galaad martyrii;

3b. Per vos fractum alabastrum,
Per vos cursum tenet plaustrum
Sanctum evangelii.

4a. Vester sanguis verum lumen,
Fulcimentum et bitumen
Totius ecclesiae,

4b. Sion fundat et figurat,
Ornat, polit et picturat
Forma novae gratiae.

5a. Ore florens, Dionysi,
Inter flores paradysi
Speciali gloria,

5b. Te collaudat et honorat,
Suum colit et adorat
Apostolum Gallia.

6a. In qua sancta fulgens vita
Missus, Areopagita,
Fidei lux praevia,

6b. Primo sudans in agone
De rosea passione
Plantasti rosaria.

7a. Vos huic rosae complantati,
Vos cum eo purpurati
Rubicunda laurea,

7b. Fructum fertis et honorem,
Acquisitum per cruorem
Cum stola purpurea.

8a. Cum vos reformetis bullam
Passionis et medullam
Invictae constantiae,

8b. Nos formetis ad agonem
Et intentam passionem
Praesentis militiae.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1207. — Mit Mel. = Hodiernae lux diei.

185. De sancto Dionysio.

1a. Pretiosa mors sanctorum
In conspectu Domini,

1b. Mors beata dedicata
Christiano nomini.

2a. Hanc elegit vir famosus
Pretiosam pretiosus
Martyr Dionysius,

2b. Athenarum civis primo
Sursum levans cor ab imo
Doctor fit eximius.

3a. Dum vagatur et miratur
Vas electum cultum rectum
Sub ignoti nomine

3b. Docens unum, qui supernus,
Temporalem, qui aeternus,
Deum tectum homine.

4a. Audit, credit, baptizatur
Areopagus, testatur
Dei mirabilia;

4b. Verbum crucis amplexatur,
Stulta mundi veneratur
Graeca sapientia.

5a. Post ad gentes destinatus
Verbi vitae vir beatus
Dispersurus semina,

5b. Cum ex sulca seges multa
Surrexisset et crevisset
In virtutum germina,

6a. Malleator terrae nequam
Tyrannorum mentem caecam
Fremens curbat, ut consurgat
Solitam in rabiem.

6b. Lictor saevit nec quievit,
Donec sanctum tormentatum,
Post tormenta decollatum
Transmisit ad requiem.

7a. O res nova, decollatus
Caesum caput Deo gratus
Sanctis defert manibus,

7b. Terrae corpus commendatur,
Mente coelo collocatur
Divinus theologus.

8a. Martyr Dei, Dionysi,
Portas pande paradisi
Tibi supplicantibus,

8b. Et qui nostris nil valemus
Freti tuis adjuvemur
Meritis et precibus.

Miss. ms. Schäftlariense anni 1452. Clm. Monacens. 17021. A. — Miss. ms. Schäftlariense anni 1464. Clm. Monacens. 17018. B. — Grad. ms. Schäftlariense saec. 15. Clm. Monacens. 23026. C. — 6b, 1 Doctor saevit. — 7a, 1 O fehlt ABC.

186. De sancto Dionysio.

1. Superae harmoniae
vastam gubernati
musicam,

2a. Tonanti
creatura
laudes depromat
inclitas,

2b. Largita
cui digna
sunt rationis
munera.

3a. Nunc ergo psallamus
dulcia
modificantes pneumata,

3b. Atque vox canora
componat
rhythmica tandem famina.

4a. Et quoniam organa
resonant
symphoniam tinnula,

4b. Christus ab arce clara
capiat
vota cordis intima.

5a. Eja intona
nunc, Galliarum plebs candida,
Celeberrima
Dionysii, Macarii
digne recolendo trophaea.

5b. Commissa cui
es in sorte apostolica,
Qui pia ferat
jugiter tibi suffragia,
missus huc de gente Pelasga.

6a. O quanta tormentorum
passus genera
pro Christi
exstitit gloria.

6b. Nam flammas et flagella
saevasque feras,
carceris
simul tulit antra.

7a. Sed sacra
illic infula
dum celebrat
Mysteria
praesul alma,
Jesus adstat
caterva
septus angelica

7b. Et sancta
manu placida
ferens liba,
Firmat ejus
agoniam,
Exspectatam
promittens
coelorum patriam.

8a. Hac percepta
voce divina
sacer athleta

8b. Infert coelo
cervice caesa
gaudens animam.

9a. Aeternam
Christus ibi dans
illi gloriam

9b. Remittat
errata ejus
prece benigna

10. Cuncta per saecula.

Trop. ms. Sanmaglorianum saec. 11 et 12. Cod. Parisiens. 13252. A. — Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. B. — Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. E. — Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. C. — Miss. ms. Ord. ss. Trinitatis anni 1510. Cod. Mazarin. 430 233. D. — 4a, 2 resonat C; resonet A. — 4b, 2 captat. C. — 5a, 1 intima C. — 8b, 1 infer B. — 8b, 3 gaudenter C. — 9b, 2 servorum errata, ersteres überzählig.


187. De sancta Dorothea.

1a. Mundi omnis gloria
Fert, laus et victoria
Patri sit et filio,
Pneumatis qui lilio
Obumbravit vernulam
Fidei, Dorotheam,
Pie ac sanctissime.

1b. Quae cum sprevit idolorum
Culturam, malignorum
Traditur potentiae
Ovis haec clementiae,
Unde prave caeditur,
Fame, siti laeditur,
Sed ferens mitissime.

2a. Fabricium despiciens
Christum sed alliciens,
Quem constanter docuit;
Licet ejus nocuit
Corpori suppliciis,
Ac diversis vitiis,
Constans tamen filia.

2b. Sorores, quas perverterat
Hostis, has converterat
Regis in praetorio,
Dei adjutorio
Sic mense Februario
Rosas in orario
Scribae fert et lilia.



3a. Post poenarum genera
Martyr Christi tenera
Capite privabitur
Mox tortoris gladio.

3b. O Dorothea, regio
Nata privilegio,
Poscimus tu illustra
Nos solari radio.

Miss. Hilariense VIII. saec. 15. — 1 b, 3 Traditor. — 1 b, 5 creditur. — Mel. vermutlich: Mundi renovatio, deutsche Singweise.

188. De sancta Dorothea.

1a. Salve, virgo generosa,
Sponsa Christi speciosa,
Veneraris hodie;

1b. Jubar altae claritatis
Et immensae dignitatis
Apud regem gloriae.

2a. Senatorum prosapia
Ortum ducis, virgo pia,
Cum virtutum schemate.

2b. Dorothea vocitaris,
Sumopere adamaris
A beato pneumate.

3a. Fabricius conculcatur,
Poenis Stygis deputatur
Pro sua malitia,

3b. Sertum fulvum et gemmatum
Tibi datum et stellatum
Pro tua militia.

4a. Surdis, claudis, caecis, nudis
Salus adest et defunctis,
Leprosis et contractis,

4b. Per merita sua sacra
Daemonium et podagra
Abest, febris et pestis.

5a. Dum profana reputaris,
In catasta confrixaris
Uncisque laniaris.

5b. Fame diu cruciaris,
Faculis duris cremaris
Virgisque flagellaris.

6a. Post haec scriba Theophilus
Te exposcit incredulus
Sibi mitti mala, rosas,
Signum tui meriti.

6b. Adest puer purpuratus,
Inquit: virgo, ut sit gratus,
Theophilo hoc praesenta
Donum regis incliti.

7a. Statim cervice extensa
Orat voce cum immensa
Pro his, a quibus colitur
Ejus felix passio.

7b. Mox auditur: sponsa, veni,
Tibi dabo, in perenni
Ut tecum tui servuli
Regnent cum tripudio.

Miss. ms. Pragense X G 23. saec. 15. — 4a, 1 l. mutis?

189. De sancto Ebrulpho.

1. Solemnis erit dies
et memorabilis ista,

2a. Qua Ebrulphus celsi
petit coeli palatia.

2b. Hodie ad agni
nuptias ovans evolat

3a. Fortis agonista,
adeptus bravium jamjam
emicat,

3b. Refulgent atria
qua dilecta Jerusalem
inclita.

4a. Beata o anima,
divinam
comitata gratiam

4b. Ad patriam remeans
dictura
venerando cantica.

5a. Alma sonant per astra
angelorum gaudia,
Cantant apostolorum
organa Alleluja,
martyrum
turba dat gloriam.

5b. Casta confitentium
magnifica agmina
Laetanturque concivem
Abrahae et gremium
munera
antiqua sociant.

6a. Beatus Christicola,
quem assumpseras,
Christe, ut colat
atria.

6b. Negotia curabat
sibi credita,
cuncta modo bona
celebrant.

7a. Solvamus jamjam
vincula linguae nequam,
Corda ferens regi sacra
Hymnidica,
qui patrocinia
cumulat.

7b. Salvator aegra
visitet mortalia,
Pretiosa sanctorum dat
Suffragia,
nostra quae decoquant
vulnera.

8a. O gloriosa
hodierna solemnia,
omnium sint plena gaudia.

8b. O sacer pie
nunc Ebrulphe dele nostra
tuis precibus facinora.

9a. Hinc ista tempora
nobis serena
prospera,

9b. Patronum te vitae
coelestis da, ut
in astris

10. Totum fiat gloria.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. Mit Mel. = Coelica resonent clare, aber mit der Intonation Christi hodierna und mit völlig abweichender Behandlung. — 2b, 1 nuptias agni — 9b, 2 dat.

190. De sancto Eligio.

1a. Sancto patri et pastori
Solemnizet hujus chori
Celebris harmonia,

1b. Psallat intus, psallat foris
Clamor cordis et laus oris,
Coeli pulsent atria.

2a. Dignus quidem laude multa,
Per quem mundo sunt indulta
Tanta beneficia,

2b. Ut ejus patrocinio
Curetur omnis laesio,
Cuncta cedant gravia.

3a. Qui coelitus praeelectus
Ex re nomen est adeptus
Praecurrente gratia;

3b. In primaevo sui flore
Carnem frenat artiore
Victus parsimonia.

4a. Nihil blandum hunc illexit,
Nil asperum hunc reflexit
A veri sententia;

4b. Ridens velut somnium
A somno surgentium
Mundi lenocinia.

5a. Ergo relictis omnibus
Jam carnis exsul actibus
Exsulat a patria

5b. Et mox ad opus manuum
Neminem aeque strenuum
Sella probat regia

6a. Cum gemmas auro foederat,
Materiam exsuperat
Operis industria,

6b. Cumque manus operatur
Lectione saginatur
Otii mens nescia.

7a. Replens melle scripturarum
Instar apum mysticarum
Mentis alvearia,

7b. Quod mandabat litera,
Ejus implet opera
Sancta diligentia.

8a. Pupillos atque viduas
Nunquam remmittens vacuas
A sua praesentia

8b. Et nudos et in carcere
Duplo gaudentes munere
Redeunt ad propria.

9a. Per hunc aeger sospitatur,
Esuriens redit satur
Larga pastus copia,

9b. Caeci, claudi, surdi, muti
Restituuntur soluti,
Sanatur insania.

10a. Exanimi cadaveri
Idem natus miseri
Vitae reddit spolia.

10b. Felix dies Noviomo,
Qua fit ejus tantus homo
Praesul ac custodia.

11a. Constitutus super gentes
Arat, fodit plebis mentes,
Vepres tollit, vellit sentes
Et quaeque sterilia.

11b. Aedificat, plantat, serit,
Rem coloni sacri gerit
Et non, quae sua sunt, quaerit
Sed lucra coelestia.

12a. Ex lucrorum zelo tali
Cura fervens pastorali
Imbre rigat spiritali
Cordium novalia

12b. Corruscansque miraculis
Inauditis a saeculis
Multa facit in populis
Signa et prodigia.

13a. Verbis suis mellifluis
Nunquam a fructu vacuis
A culturis idolorum
Et fermento paganorum
Liberavit milia.

13b. Harum fractus lucris rerum
Deo plenus et dierum
Carnis exutus chlamyde
In forma spherae lucidae
Coeli subit gaudia.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318. — Mit Mel. = Laudes crucis.

191. De sancta Elisabeth.

1a. O Elisabeth regina,
Tota mente columbina.
Caritate reple bina
Mentis nostrae atria.

1b. Paupertatem elegisti,
Regnum mundi contempsisti,
Pro quo regnum Jesu Christi
Possides cum gloria.

2a. Sanctitate non pusilla,
Quamvis pauperum ancilla
Vere mater tu es illa,
Qua polles ex gratia.

2b. Suscitatrix mortuorum,
Consolatrix miserorum,
Caeco nato oculorum
Lumen das propitia.

3a. O beata, o benigna,
Mater omni laude digna,
Serva tuos et consigna
Sanctorum laetitia.

3b. Nos consortes tuae sortis
Fac a poenis et a portis
Transeamus hora mortis
Ad aeterna gaudia.

Miss. ms. Graecense 767. saec. 14. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum. — 4a, 2 Qua potes.

192. De sancta Elisabeth.

1a. Plebs devota psallite,
Laudes Deo promite
Toto corde comite
Die isto.

1b. Elisabeth, credite,
Regno gaudet debite
Paradisi, plaudite,
Jam cum Christo.

2a. Cui merces operum
Per manus est pauperum
Cum concentu superum
Reparata,

2b. Quos tergendo laverat,
Colligendo paverat,
Quibus manu straverat
Delicata.

3a. Haec instructa coelitus,
Legi docta spiritus,
Plagas lavat penitus
Vel invito.

3b. Laus miranda feminae
De regali semine,
Sic servivit nemine
Fastidito.

4a. Corruscat miraculis
Terris, linguis, populis,
Nostris visas oculis
Dans medelam.

4b. In te confidentium,
In mundo degentium
Contra plagas mentium
Dans tutelam.

5a. O virtute varia,
Mundo necessaria,
Te felix Hungaria
Dedit prolem.

5b. Veni, mater, propera,
Nostra purgans opera,
Dans nosse trans aethera
Verum solem.

Grad. ms. Cranenburgense anni 1340. — 1b, 3 pandite Hs. — 1b, 3 Christo fehlt. — 4a, 3 visis. — Vgl. Nr. 193.

193. De sancta Elisabeth.

1a. Laetabunda
Exsultet fidelis chorus
Harmonia;

1b. Elisabeth
Cum sanctis praeclara fulget,
Alleluja!

2a. Plebs devota, psallite,
Laudes Deo promite
Die isto,

2b. Regno gaudet, credite,
Elizabeth debite
Jam cum Christo.

3a. Cui merces operum
Est per manus pauperum
Reparata,

3b. Quos tergendo laverat,
Colligendo paverat
Delicata.

4a. Haec instructa coelitus,
Legi data spiritus
Fide rata;

4b. Laus miranda feminae
De regali semine
Generata.

5a. In multorum oculis,
Terris, linguis, populis
Corruscat miraculis
Dans medelam.

5b. In te confidentium,
In mundo degentium
Contra plagas mentium
Da tutelam.

6a. Et virtute varia
Nos cum hac ecclesia
In tuam deduc
custodiam,

6b. Duc post hanc miseriam
Nos ad veram patriam
Et sempiternam
laetitiam.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15/16. — Mel. natürlich: Laetabundus.

194. De sancto Elisaeo.

1a. Nunc exsultet plebs fidelis,
Dum suscipitur in caelis
Propheta praecipuus,

1b. Vox proclamet et sit testis,
De terreno fit coelestis
Arator assiduus.

2a. Gaudet chorus angelorum,
Dum in sortem beatorum
Elisaeus sumitur,

2b. Collaetentur Carmelitae,
Cujus pater regni vitae
Civis constituitur.

3a. Olim sequens hic Eliam,
Hunc praecessit tenens viam
Ad coeli fastigium,

3b. Dum priorem currus tollit,
Duplex spiritus extollit
Sequentis praeconium.

4a. Aquas vertit in dulcorem,
Ursos mittit in furorem
Jubentis eloquium;

4b. Siccis fossis unda crevit,
Vasa viduae replevit,
Vitae reddit filium.

5a. Cibum temperat amarum
Et panes primitiarum
Auget benedictio,

5b. Lepram sanat nova cura,
Ferri gravis est natura,
Sed natat imperio.

6a. Dum insanit rex detectus,
Manet propheta protectus
Coelesti custodia;

6b. Fames viget, dux discredit,
Hostes timet et abscedit
Laetatur Samaria.

Grad. ms. Carmeli Parisiens. saec. 15/16. Cod. Mazarin. 465. (1388. C.)

195. De sancto Emmerico.

1a. Stirps, regalis, proles regis,
Imitator verae legis
Vera dedit gaudia;

1b. Hic dilectus par est malis,
In silvarum lignis qualis
Arbor non est alia.

2a. Crevit puer Emmericus,
Summi regis fit amicus
A primis cunabulis;

2b. Cedit hostis huic antiquus,
Caro, mundus, inimicus
In crucis signaculis.

3a. Chore, Dathan et Abiron,
Simul Cerinthus, Marcion
Ruunt Dei dextera,

3b. Puer sanctus rex de Sion
Puerorum echelion [sic]
Dum vexit ad aethera.

4a. Clangit tuba Gedeonis,
Silent magi Pharaonis
Nec dant signum tertium,

4b. Cum in psalmis decantandis
Vigil perstat, hic sanandis
Christi dat commercium.

5a. Salutantur sancti fratres,
Puer hic honorat patres
Pia post oracula.

5b. Uni unum, alii duo,
Penta trino, hepta quarto
Diversa dans oscula.

6a. Stupet pater haec cum videt,
Moestus vultu corde ridet,
Pium placat filium;

6b. Pandit natus veritatem,
Fratris monstrat sanctitatem,
Virginale lilium.

7a. Hic Conrado anxiato,
Ferris quinis colligato,
Rupit ferri vincula;

7b. Illustrata Pannonia
Signis multis cum gloria
Det laudes per saecula.

Miss. ms. Posoniense anni 1488. Cod. Musaei Hungarici Lat. 219. A. — Miss. ms. Strigoniense? saec. 14. Cod. Musaei Hungarici Lat. 94. B. — Miss. ms. Strigoniense? saec. 15. Cod. bibl. publ. Salisburgens. V 1 B 23. C. — 2a, 1 Servit puer C. — 2a, 2 Supremi regis C. — 3a, 2 Cerinthus et Marcion C; Simul Cerinthus et Marchion B. — 3b, 1 Puer sanctus dum ex Sion C. — 3b, 2 Puerum e celion C; puerum echelion B; puerorum etheleon A. — 3b, 3 Transvexit ad C. — 4a, 1 Plangit B; turba A. — 5a, 3 piacula C. — 5b, 2 Trina terno septa C. — 7a, 1 Conrardo B; Corrardo C.

196. De sancto Erasmo.

1. Ave, martyr gloriose,
Ave sidus, ave veris
Flos perennis rosae
Germinansque lilium.

2a. In hac valle peregrina
Confer tuis precibus,

2b. Ut non retro trahat spina
Nos a dextris gressibus.

3. Sed post carnis velamina
Deleta gibbi sarcina
Jungamur coelestibus.

Miss. ms. Hilariense X anni 1458. — 2b, 1 retro tendat culpae spina Hs.

197. De sancto Erasmo.

1a. Gloriose martyr Dei,
Nos orantes respice,
A te quod optamus rei,
Hoc in nobis perfice.

1b. Gaudes in coelorum thronis
Carnis per interitum,
Fac nos tuae passionis
Gaudere post exitum.

2a. Audi regni consodalis
Fletus in periculo
Tuae laudi, nullus talis
Visus est in populo.

2b. O quam pium, quam beatum,
Quam felix promissio,
Qui te venerantur gratum,
Illis fit remissio.

3a. O Erasme, o praeclare,
Fac nos recta sapere,
Inimicum superare,
Post hanc vitam vivere.

3b. Si sint tantae pravitatis
Cordis impugnantia,
Vultus tuae sanctitatis
Nostri sit custodia.

Miss. ms. Cremifanense 132. saec. 14. A. — Miss. ms. Hilariense X saec 15. B. — Miss. ms. Scotorum Vindob. 55. a 3 saec. 15. C. — Miss. ms Underdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. D. — Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacens. 2873. E. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 24 002. F. — 1 a, 2 Nos oramus A.

198. De sancto Erasmo.

1a. Coelum gaude,
Erasmi novella laude
Cane festa,

1b. Pari laude,
O terra tenella, plaude,
Cedant maesta.

2a. Erasmus industria
Subiit silentia
Eremorum,

2b. Ibidem coelestium
Meruit colloquium
Angelorum.

3a. Tandem flagris caeditur,
Dei pugil sistitur
Tribunali.

3b. Respondet intrepide
Vir sanctus et lepide
Expers mali.

4a. Verbis jussus subdolis,
Offerat ut idolis,
Est beatus,

4b. Cum sprevisset idola,
Pravis fit parabola
Fustigatus.

5a. Carceri intruditur,
Multo ferro premitur,
Carcer, ferrum solvitur
In favillam.

5b. Flammea induitur
Toga, spata ceditur,
Gaudens sic ingreditur
Vitae villam.

6a. Erasmi nos prece
Cunctorum a faece,
Jesu, solve
peccatorum.

6b. Duc virtute plenos
Monteque serenos
Ad gaudia
gaudiorum.

Cod. Gottwicensis 202. saec. 15. — Mel.: Laetabundus.

199. De sancto Erasmo.

1a. O quam gratus
Et insignis
Praesul Deo stabilis,

1b. Qui poenatus
A malignis
Factus est mirabilis.

2a. Tunc septennis
Hic in cultu
Mansit eremitico,

2b. Qui perennis
Nunc in vultu
Claret beatifico.

3a. Pastum caeli
Fert fideli
Corvus avis coelica,

3b. Fatus Christi
Fit et isti
In lingua angelica.

4a. Ferae vere
Cognovere
Hujus sanctitudinem,

4b. De quo rei
Hostes Dei
Dictant turpitudinem.

5a. Quem cum torquent
Pice plumbo
Resinaque sulphure,

5b. Terra tremit,
Aer gemit,
Plebs perit in fulgure.

6a. Carceratur
Et seratur,
Molestatur tenebris,

6b. Fit amoena
Duodena
Inibi lux celebris.

7a. Hic vestitus
Fit auditus
Sic mens Deo oritur,

7b. Ferro gravi,
Voce suavi
Martyr fit et moritur.

8a. Mundo natos
Fac purgatos
Erasmi victoria,

8b. Jesu pie,
Mortis die
Tecum frui gloria.

Miss. ms. Herfordiense saec. 15. Cod. Berolinens. Fol. 443.

200. De sancto Erhardo.

1a. Salve, splendor firmamenti,
Arca candens documenti
Fidei catholicae,

1b. O Erharde, pastor bone,
Florens in religione,
Virtute heroice.

2a. Venus lucens in aurora,
Lux benigna, lux decora,
Atras pandens latebras,

2b. Fortis cibus salutaris,
Cymba tuta hujus maris
Transiens per salebras.

3a. Gaudeat Hibernia
Tanto nato filio,

3b. Felix et Bavaria
Veritatis lilio.

4a. Ratisbona singulari
Plausu plaudat, jucundari
Decet patri filiam,

4b. Cui adstans paralises
Fugat, sanat atque elises,
Qui quondam Ottiliam,

5a. Caecam natam, lucidavit,
Nympham lympha emundavit
Sancti fonte baptismatis.

5b. Christi factus citharista,
Verae legis et legista,
Praeco sacri pneumatis,

6a. Diligentes te commenda
Regi coeli omni menda
Nequam tersa schismatis.

6b. O mandrita summe bone,
Mandros mortis in agone
Juva tuis meritis.

Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacens. 2873. A. — Miss. ms. Sanemmeramense saec. 15. Clm. Monacens. 14414. B. — 1a, 2 documentis A. — 1a, 3 Fidei caritate A. — 2a, 3 Atra A; antras B. — 2b, 2 Tumba A. — 2b, 3 calebras A; falebras B. — 3a, 2 Tanta A. — 4b, 1 Tul astaris paralises B. — 4b, 2 elises A. — 5a, 2 Sancti martyris B fonte fehlt.

201. De sancta Erntrude.

1a. Plausu laeto jubilemus
Summo regi, personemus
Erntrudis solemnia,

1b. In qua gemma fulsit morum
Ab infantia bonorum,
Quae est regens omnia.

2a. Effatus nullus sufficit
Nec oda ulla perficit
Ipsam plene laudare,

2b. Ejus in excellentia
Hic quondam rexit entia
Terrena quam praeclare.

3a. Respuit tunc pocula
Vasis Babylonis,
Fervens fuit rosula
Haec Judaei donis.

3b. Ut lecythus olei
Herae Sareptenae
Sic in olla fidei
Fecundavit plene.

4a. Arbori ut sit, subjectas
De virtute in virtutem
Duxit cum prudentia.

4b. Respexitque vias rectas,
Animarum ut salutem
Firmet cum solertia.

5a. Vias Dinae haec abnuit,
Acta Mariae imbuit
Et cum Martha coluit.

5b. Dei potentis filia
Futans mundi vilia
Coeli legit lilia.

6a. Jesu dulcis, ob amorem
Erntrudis atque decorem,
Virginis sanctissimae,

6b. Salva omnes hanc laudantes
Gaudia et deprecantes
Data invictissimae.

Miss. ms. Salisburgense anni 1476. Cod. bibl. publ. V 1 A 12. A. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonens. 1778. B. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgens. 76. C. — Miss. ms. Gurcense saec. 15. Cod. Musaei Virunens. 332. D. — Miss. ms. Graecense 74. saec. 15. E. — Miss. ms. Stirpinense 3. saec. 15. F. — 1a, 1 laete E. — 1a, 3 Erntrudis virginis solemnia ABD. — 1b, 3 Quae regens omnia ABCDE. — 2a, 1 Affatus A. — 2a, 3 plenam laudare ACEF. — 3b, 1 Ne lecythus A; Nec lecythus D. — 3b, 3 Fit in aula fidei A; sic in aula C; sit in aula DE. — Arbora ut sit ADE; arbora ut sic F; arbore ut sit C; arbori ut sit B. — 4b, 3 Firma cum solertia A; cum solemnia CD. — 5a, 1 Vias Domini B. — Verderbter Text in sämtlichen Hss.

202. De sancto Eugenio.

1a. Psallat cum tripudio
Laeta praesens concio
Praesentans Eugenio
Vota grata.

1b. Cujus ministerio
Toletana regio
Est a cultu devio
Revocata.

2a. Accelerans Galliam
Ad patris praesentiam
Turbam habet obviam
Paganorum.

2b. Quaerunt, an dîs famulus;
Sum, dixit intremulus,
Cultor Christi sedulus,
Non deorum.

3a. Mox truncato capite
Viri mentis concite
Prosternunt in gurgite
Corpus caesum.

3b. Immenso volumine
Temporum in flumine
Latuit putredine
Nunquam laesum.

4a. Vir saluti redditus,
Prout erat monitus,
Paruit sollicitus
Imperio.

4b. Corpus tractum latice
Locat honorifice
Constructae basilicae
Sacrario.

5a. Nunc praesens ecclesia
Martyris praesentia
Exsultet laetitia
Speciali.

5b. Cujus precum gratia
Per temporum spatia
Sit praesens familia
Expers mali.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel. — Plebs devota psallite.

203. De sancto Eustachio.

1a. Corde puro, mente munda
Moduletur vox jucunda
Lucis hujus gaudia,

1b. Lux est grata, lux insignis,
In qua digna Deo dignis
Conferuntur praemia.

2a. Ignem vincens et leonem
Christi martyr post agonem
Et decursum stadium,

2b. Natis junctus et uxori
Hac in die jussus mori
Vitae cepit bravium.

3a. Vanitati deditus
Dum aberrat nescius,
Invitatur coelitus
Ad fidem Eustachius,

3b. Ne gentilis perderet
Boni fructum seminis,
Cum jam caste viveret,
Omnis expers criminis.

4a. Hic tentatus graviter
Fert exemplum posteris.
Dum amissa pariter
Uxore cum liberis

4b. Fidem puram retinet
Nec adversis frangitur,
In spe cuncta sustinet
Neque sperans fallitur.

5a. Nam procurat Dei cura,
Ut propinet in mensura
Lacrimarum calicem,

5b. Non oblita misereri
Nec in ira contineri
Justum passa judicem.

6a. Viro justo post laborem
Natos reddit et uxorem
Et in statum hunc priorem
Ac fortunam erigit.

6b. Sed non parens regis irae,
Dum jubetur, aut perire
Aut a fide resilire,
Mori magis eligit.

7a. Ergo Christo convicturus,
Fide fortis, spe securus,
Bovem ingressus aeneum
Vaporem spernit igneum.

7b. Corpus, quale prius erat,
Incorruptum perseverat
Nec in extremis crinium
Vires apparent ignium.

8a. Tamquam aurum a fornace
Mundus exit spiritus,
Locus ejus fit in pace,
Quem non turbat gemitus.

8a. Nullus enim ibi luctus,
Nullus timor hostium,
Sed laborum dulcis fructus
Et perenne gaudium.

9a. Martyr dulcis et praeclare,
Quos hic vides laborare,
Tuis juva precibus,

9b. Ut amarum mundi mare
Sic possimus transmeare,
Ne mergamur fluctibus.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. mit Mel. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14 Cod. Mazarin. 422. (732.) B. — Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 623. C. — Prosar. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Andegavens. 91. D. — 2b, 2 visus mori C. — 5a, 2 ut propinm in C; mansura A. — 5b, 1 Nam oblita C.

204. De sancto Eustachio.

1. Omnes Christo jubilemus
Ac pariter celebremus
Martyrum solemnia,

2a. Corde, mente suspiremus,
Voce lingua personemus,
Quam sint vera gaudia.

2b. Quae dat Christus in praemio
His, qui fortes in proelio
Vicerunt supplicia.

3a. Cruce mortem qui substravit
Signum crucis demonstravit
Inter cervi cornua,

3b. Fera signat redemptorem
Et venatur venatorem
Sequentem per ardua.

4a. Gressum figit et affatur
Et Placidus admiratur
Tactus Dei gratia,

4b. Cedit error, fides datur
Et ab ipso requiruntur
Baptismi mysteria.

5a. Mores mutat atque nomen,
Bonum turbat ex hoc omen
Serpentis nequitia;

5b. Fit jactura mundanorum
Sed spes levat aeternorum
Justum a miseria.

6a. Pudor cogit exsulari,
Quem solebat venerari
Caesaris militia,

6b. Sic afflictus temptamentis
Indefesso statu mentis
Calcat saeculi devia.

7a. Sic ad mare pervenitur
Et ibidem invenitur
Nauta freto saevior,

7b. Uxor male coercetur
Et pro naulo detinetur,
Fit uterque tristior.

8a. Pater lugens prae dolore
Carpit iter cum moerore
Sua tundens pectora,

8b. Nil blasphemum profert ore,
Vocem premit a clamore,
Cara ferens pignora.

9a. Sine rate transit fluctum,
Inde Satan auget luctum,
Fera tollit pueros;

9b. Nescit ultra consolari
Nec a fletu temperari
Cernens rapi liberos.

10a. Jamjam paene destitutus
Et in luctu constitutus
Job illustrem est secutus
Duce patientia;

10b. Quem militum assuetus
Sequebatur olim coetus,
Nunc abjectus atque spretus
Pascit animalia.

11a. Hujus Caesar flens eventum
Per hunc tandem post inventum
Hostem domat incruentum
Capto pacis foedere.

11b. Videns opus deitatis
Pater gaudet matre, natis
Post haec sibi restauratis
Trinitatis munere.

12a. Sic recepti triumphantes
Ac profana deviantes,
Fide mortem superantes
Feris dantur properantes
Bovis ad incendia.

12b. Quorum prece mundi mare
Valeamus transmeare,
Coelum quoque penetrare
Nec non Christo conregnare
Felices in gloria.

Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Paris. 17 329. — Mel.: Laudes crucis.

205. De sancto Feliciano.

1a. Ad concentus animemur
Et psallendo collaetemur
Piis cum intentibus,

1b. Voces votis adornemus,
Ut decenter concordemus
Festis in praesentibus.

2a. Labor linguae nam frustratur,
Si mens voci non aequatur
In devotionibus;

2b. Ex intentu judicatur
Homo, dum quid operatur
Rebus aut sermonibus.

3a. Unde simplex sit et pia
Nostrae vocis harmonia,
Quam sanctis deferimus;
Laus nam sanctis cum dicitur
Haec in Deo perficitur
His aut quid egerimus

3b. Non putemus ergo vanum,
Sanctum si Felicianum
Tractemus devotius,
Qui sanctorum agminibus
In supernis ordinibus
Effectus est socius.

4a. Divi jugum en laboris
Hunc provexit ad honoris
Tanti magnitudinem,

4b. Et ob curam ampliorem
Est adeptus celsiorem
Illic gratitudinem.

5a. Quantus ergo sit in caelis
Christi servus hic fidelis,
Ex actu colligitur,

5b. Et quod magna mereatur,
Ejus virtus si pensatur,
Vere non ambigitur.

6a. Nondum quidem baptizatus
Christi fidem insperatus
Dilexit sincerius,

6b. Cujus mores dum notavit,
Sacris scholis hunc aptavit
Sanctus Eleutherius.

7a. Postquam vero baptizatur,
Fide fulgens declaratur
Aptus sacerdotio;

7b. Inde virum tam benignum
Praesulatu fecit dignum
Virtutum promotio.

8a. A Victore praesul factus
Quam solemnes gessit actus
Intrans Christi vineam

8b. Plantandoque sacram fidem
Gentem, de qua natus pridem,
Sanctivit fulgineam.

9a. Exstirpando vim deorum
Idolatras diversorum
Hinc convertit terminorum
Docens in Italia;

9b. Cur suspensus laceratur,
Verba vitae ne loquatur
Sed nequaquam retardatur
Profiteri talia.

10a. Plures poenas sic perpessus
Vinctus Romam est agressus
Obiitque mox oppressus
Viarum laboribus;

10b. Quem cum laude sepelivit
Gens, in fide quam sanctivit,
Deus hunc et insignivit
Signis potioribus.

11a. Ob hoc pie modulemur
Hunc et sanctum deprecemur,
Ut in fide solidemur

Aevae mortis ne damnemur
Atroci sententia;

11b. Sancti nobis hoc praestare
Coelitus et impetrare,
Quem praesentem commendare
Nitimur et personare,
Dignetur clementia.

Miss. ms. S. Katharinae Hamburgens. 433. saec. 15. Mel.: jedenfalls Lauda Sion.

206. In Translatione s. Fidis.

1a. Omnia melliflua
dent cantica
et honora
collecta agmina,

2b. Instat quia praeclara
dies intra
orbis ampla
dicata spatia,

2a. Qua Fides alma trophea
penetravit ferens aethra
victricia.

2b. Agni sacra vestigia
virginalia sequitur
per lilia.

3a. Celsa martyrum caterva
congaudet una,
sanctae ac beatae Fidis merita
subisse una
contubernia.

3b. Digna gratiarum vota
voce consona
reddunt cum ipsa martyre socia
regi, qui cuncta
gubernat saecla.

4a. His turba pia
jam laudibus juncta,
nobiscum propria
promite gesta,

4b. Inter inclita
quae sanctorum scripta
passione sacra
manent lucida.

5a. Nam exorta
virgo sanctissima
ac referta gratia
sempiterna
mente devota
exercebat
casta tyrocinia.

5b. Exempla jam
cunctis vivifica,
ut aeterna capiant
sacramenta,
Christi munia
implebat
solida confidentia.

6a. Multa ornata
virtutum doxa,
ejus fama longa
dum volitat per arva,
judicialia
adiit jura.

6b. Data iniqua
tunc sententia
ipsa ad parata
suscipitur tormenta
propter aetherea
privilegia.

7a. Saeva decurrunt flagella
per juvenilia membra
omniaque poenarum argumenta.

7b. Stat summa virtute fixa
intrepida Christi sponsa,
ut intret secreta thalami functa.

8a. Jam nunc tympana
clara ante sacra
sonant epithalamia,
cum sponsalia
dotis a Christo sunt data.

8b. Namque corona
praeventa lucida
in certamine posita
in Christi dextra
quievit pace superna.

9a. Jam compos effecta
sancti nominis, Fides alma,
digna
prece saeva solve vincla.

9b. Quo lampada nostra
tua redundante referta
celsa
tecum capiamus regna.

10. Ubi sempiterna
fruamur doxa
in saecula.

Antiph. ms. Conchacense saec. 10/11. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 443. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 835. B. — 5b, 2 vivificavit A. — 5b, 3 rapiant B. — 5b, 6 impleat B. — 6a, 4 Domini nobilitat per arva B. — 7a, 2 juvenalia A. — 7b, 2 virgo Fides Christi sponsa B; intrepida fehlt. — 7b, 3 ut intra A. — 8b, 1 Nam et B; chotona A. — 8b, 3 in certamina potentias posita B. — 9b, 1 lampa B. — 9b, 2 refertae B. — 10, 3 saecla B.

207. In Translatione s. Fidis.

1. Doxa per omnia
renitet cosmi climata

2a. Uranica
turma concinat
in altis gloriam
ac voce clara
resultet Alleluja.

2b. Hinc terrea
cuncta applaudant
nova certamina,
praecelsa, pura,
herili laude digna.

3a. Quae Fides egregia,
Deo dicata martyr pia,

3b. Exsuperavit cuncta
prudentum ut psychomachia.

4a. Nempe exorta
nobili prosapia

4b. Sacra delegit
pudica connubia.

5a. Vera refert historia
Hac quidem de causa
passim pervulgata
intonuit fama
In Dacianica aulea.

5b. Comperta ut sunt famina,
Ad tribunalia
tyrannica ducta
impia per jussa
Quaeritur, an sit Christicola.

6a. Tum virgo beata
immota
neque perterrita
affatur
voce serena:

6b. Haec fides divina
suscepta
in mente devota
inserta
fertur gratia.

7a. Hinc saeva caterva
neci praeparat dari membra
tenera per supplicia.

7b. Accenditur pyra,
media super craticula
uritur Dei athleta.

8a. Ambusta ferens latera
sed nondum devicta,

8b. Tegitur Christi gratia,
qua fit obumbrata.

9a. Ducta ad delubra
Capitali sententia
finitur intemerata
sacra gestans praemia
Juncta virginum chorea.

9b. Hinc tonant cantica
De te, virgo, praelibata
sponsi sequens vestigia
ejus forma accensa
Cunctam liquisti machinam.

10a. Ac custodum speculam
adisti agitata

10b. Exorcizans quaerula,
clamitans almiphona:

11a. O beata
vigilum turma,
pande secreta
dilecti cubilia,

11b. Cujus forma
sum vulnerata,
dudum anxia
quaero exanimata.

12a. Caterva theologa
praedicat subisse
poli fulcra.

12b. Quem cohors virginea
spectat florida
inter lilia.

13a. Ah, virgo coelibata.
Alma quaeris gaudia,
quo laetatur
plebs redempta
Ac omnis una coelica.

13b. Tanto foedere digna,
Tu Christo gratissima
martyr, scande
poli templa,
Vita beata merita.

14a. O virginum gemma
paradisique accola,

14b. Emunda delicta
nostra tua prece pia.

15a. Praecelsa
suscipe vota hac
die te lautantia.

15b. Exposce
gloriosa nobis
vitae contubernia.

16. Quo tecum jungamur,
Fides paradoxa.

Antiph. ms. Conchacense saec. 10/11. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 443. — 7b, 2 medio super. — 9b, 3 sponsi sacra sequens. — 12b, 1 Quem chorus virginea. — 12b, 2 spectat intra florida. — 16, 1 jungamus.

208. De sancto Floriano.

1a. Salve, martyr gloriose.
Passionis qui famosae
Torcular ingrediens

1b. Indumentum rubricasti
Teque ipsum abnegasti
Pugnaturus prodiens.

2a. Regum jussa refutasti,
Laureaci triumphasti
Aquilino praeside,

2b. Idolis libare jussus,
Dum contemnis, es discussus
Fustium examine.

3a. Uncis scapulas evulsus
Cadis in flumen propulsus
Tortoris ex furia,

3b. Supra petram sed evectum
Et ab aquila protectum
Tollit te Valeria.

4a. Dum portaris ad humandum,
Lassis bubus ad potandum
Scatet fons dans gratiam;

4b. De sepulchro virtus manat,
Per te Deus aegros sanat
Et dat lapsis veniam.

5a. Agonista triumphalis,
Non devictus mundi malis,
Ultro petens proelia,

5b. Nil in te per blandimenta
Praeses, nihil per tormenta
Proficit crudelia.

6a. Transiens hanc mundi vallem
Regium incedis callem,
Campi ductor nobilis.

6b. Quem nec mundi dextra mollit,
Nec sinistra robur tollit
Muri tam immobilis.

7a. Ergo nos currentes post te
Prece trahens fac a poste
Ne pellantur Domini;

7b. Floriane, flos qui flores
Inter veros Eden flores
Correspondens nomini.

8a. Causae nostrae te patronum
Delegamus ante thronum
Divinae clementiae.

8b. Iram placa, quam meremur,
Sta pro nobis, ut laetemur
Reformati gratiae.

9a. Carnem nostram reflorere
Fac et ultra non marcere
Vitiis urentibus,

9b. In splendoribus sanctorum
Ut fruamur angelorum
Coelicis concentibus.

Miss. ms. S. Floriani XI 390. saec. 13 A. — Miss. ms. S. Floriani XI 389. saec. 14. in B. — Miss. ms. S. Floriani XI 391 saec. 14. C. — Miss. ms. S. Floriani III 204. saec. 14. D. — Miss. ms. Cellae Principum anni 1487. Clm. Monacens. 7204. E. — 1a, 2 Qui passionis A. — 1b, 5 sq. und 2a, 1 fehlen E. — 2a, 3 Sub Aquilino A. — 3a, 3 Collum junctus lapide. A. — 5a, 1 Ergo juste triumpharis D. — Str. 5 und 6 fehlen A. — Str. 7 fehlt AD.

209. De sancto Floriano.

1a. In agone spe coronae
Confortatus vir beatus
Florianus hodie

1b. Christo fretus, fide laetus,
Quam probavit, qua pugnavit,
Stolam sumpsit gloriae.

2a. Cujus dedicatam passione
Diem laetabundi
celebremus istam

2b. Et condigna veneratione
Christi attollamus
fortem agonistam.

3a. Florianus venerandus
Quam praesago fulsit
insignitus nomine!

3b. Palmae namque comparandus
Flore, fructu tibi
germinavit, Domine.

4a. Ad meliora quotidianis
accrescens operibus,
Cedrus fuit hinc
inde protensis in altum
ramis ac radicibus.

4b. Caritatis studio sibi pauper, dives pauperibus,
Variis operam
virtutibus alternatis
impendebat vicibus.

5a. In petra superaedificatus
Solidum in Domino
Sibi delegit
fundamentum.

5b. Ubi pura fide radicatus
Fulmina et flumina
Securus excepit
atque ventum.

6a. Aquilinum blandientem
Et eundem punientem
Non attendens
sprevit idolatriam,

6b. Sine fine permanentem,
Cuncta bona continentem,
Ad coelestem
anhelando patriam.

7a. A praefecto supradicto
Uncis dissipatus ferreis,
Daemonum detestabatur
Falsitatem,

7b. Et de rebus, quas videmus,
Nihil congitando terreis,
Divinam aemulabatur
Veritatem.

8a. Puniri tandem fastiditus
In Anesi flumine
Jussu judicis martyr
est obrutus.

8b. Ad petram haerens secus litus
Alis aliqua corpus
Pretiosum protexit
divinitus.

9a. Quod vidua
Felix et fidelis, Valeria,
Clam in locum perduxit
exsequiarum.

9b. Qua pro sua
Ingemiscentibus miseria
Festiva virtus adest
gratiarum.

10a. Hic virtutes
Fiunt ad salutes
Infirmorum;
Laetare,
martyr, decus sanctorum.

10b. Hic veniam
Lapsi promerentur
Peccatorum,
Futuri
consortes angelorum.

11a. Nos, o Floriane, tuis
devotos servitiis
Ad laudes Dei
memor esto conservare,

11b. Ut apud Dominum tuis
fulti patrociniis
Praevaleamus
in adversis triumphare.

Miss. ms. S. Floriani III 208. saec. 12. — 9a, 4 Mehr von einer Silbe. — 11b, 1 Capsi veniam. Hs. Die beiden letzten Strophen als selbständige Sequenz bieten Miss. ms. S. Floriani III 209. saec. 13. — Miss. ms. S. Floriani XI 390. saec. 13. — Miss. ms. S. Floriani XI 389. saec. 14.

210. De sancto Francisco.

1a. Vitae nostrae praevia
Francisci memoria
Nobis sit in speculum,

1b. Qui relinquens omnia
Per multa supplicia
Se vicit et saeculum.

2a. Qui praeventus coelitus
Patris vincla, strepitus
Mundi libens pertulit,

2b. In fervore spiritus
Abnegans se penitus
Leprosis se contulit.

3a. Hunc in evangelio
Novae novos unctio
Mores vitae docuit,

3b. Cujus factus lectio
Se libens martyrio
Paganis exposuit.

4a. Clavi, plaga lateris
Novis docent literis,
Qualis intus fuerit;

4b. Signum sui sideris
Testatur quod operis
Luce mundo fulserit.

5a. O pater minoribus,
Quos praecedes moribus,
Meritis prosequere,

5b. Mundo mori fratribus
Tuis confer precibus
Et in Christo vivere.

Orat. ms. Augustanum anni 1469. Clm. Monacens. 3702. A. — Prosar. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisiens. 1339. B. — 3b, 1 Cujus fortis lectio A.

211. De sancto Francisco.

1a. Coeli cives in colono,
Totus orbis in patrono
Christo promat dulci sono
Laudes et tripudia;

1b. Gratulentur et minores
In Francisco, cujus mores
Aegros sanant et languores
Carnis pellens vitia.

2a. Super Christum stans innixus,
In confixo manens fixus,
Crucifixum crucifixus,
Nudus nudum sequitur;

2b. Flagrat corpus ex amore,
Rubet latus ex cruore,
Pes cum manu novo more
Carnis arte pingitur.

3a. Paupertatis in camino
Praeelectus partu trino
Secum locat in divino
Throno multa milia.

3b. Praecursoris in secretum
Signum gerens per desertum,
Mundum clamat in apertum:
Fiat poenitentia.

4a. Gestis verba confirmantur
Atque signis, nam curantur
Aegri morbi, suscitantur
Defunctorum funera;

4b. Fidem aemulans Romanam,
Gentem adiit paganam,
Horum sectam culpans vanam,
Plagam atque scelera.

5a. Spe fraudata percussoris
Ac invitus laxis loris
Ipse intus, Christus foris
Speculator adfuit.

5b. Hinc electam curans gentem
Gressus opemque ferentem,
Grex supernis non carentem
Parem thori voluit.

6a. O Francisce, dux virtutum,
Gregem parvum te secutum
Serva praebens iter tutum
Ad coeli palatia;

6b. Ut pastorem te sequentes,
Iter rectum diligentes,
Exsultemus te videntes
In coelesti curia.

Grad. ms. Franciscan. Znoimense saec. 15. Cod. Strahovens. H 19. A. — Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. B. — Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12. C. — 5a, 2 Ac in vito A, invitro C.

212. De sancto Francisco.

1a. Novum sidus orientis
Insignitor piae gentis
Ascendit angelicus,

1b. Nondum cedit nocumentis
Franciscus Dei viventis
Signifer salvificus.

2a. In camino paupertatis
Vir sanctus eligitur,
Dum jugis humilitatis
Cinere contegitur.

2b. De scintilla puritatis
Lux solaris oritur,
In Eliae duplicatis
Signis supergreditur.

3a. Summi regis armatura
Dignum solis in figura
Currus vexit igneus,

3b. Caritate non laesura
Carnis fulsit in fractura
Character aethereus.

4a. Contra gelu pravitatis
Provisurus jam signatis
Non fornax accenditur.

4b. Sol apparet sanctitatis,
Sacro tectus novitatis
Franciscus induitur.

5a. Tantae virtus fabricae,
Quam saepe Davidicae
Clavis arte panditur,

5b. In hoc vivo codice
Legis evangelicae
Christi vita cernitur.

6a. Seraph summi caritas
Dat cunctis spectabilem,

6b. Configurat veritas
Unctione docilem.

7a. Reseratur mens auctoris,
Instar libri fit prioris
Hic liber intus et foris
Scriptus Dei digito.

7b. Dulce jugum, lex amoris
Signa renovant splendoris
Francisco viro minoris
In sublimi posito.

8a. Redit innocentia,
Paret creatura,
Vitae reddit spolia
Nova Christi cura.

8b. Supernorum gratia
Plenus mente pura
Cordium praecordia
Novit et futura.

9a. O stupor, o novitas,
Carnem deiformitas
Transfigurat fragilem,

9b. Regias per semitas
Rex ad turmas inclitas
Ducem duxit humilem.

10a. Summo latum coetui
Plurimi testantur
Qui de malis erui
Mire se laetantur.

10b. Cujus ope mortui
Multi suscitantur
Et utrique sexui
Grata cumulantur.

11a. Sic effuso coeli rore
Novo Christi auget flore
Proli, patri regiam.

11b. Agni roseo cruore
Floris hujus in odore
Curramus ad gloriam.

Grad. Franciscan. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12.

213. De sancto Francisco.

1a. Orbis totus gratuletur,
Sub Francisco praelaetetur,
Signum sacrum admiretur,
Dum stigmata contuetur.

1b. Ordo triplex ordinatur,
Perquam mundus illustratur,
Domus regis reparatur,
Ubi ordo confirmatur.

2a. Verus pauper fit laetanter,
Aegros sanat incessanter,
Aves monet affectanter,
Multis opem fert gratanter.

2b. Castitatis donat legem,
Obedire jubet gregem,
Paupertate Christum regem
Sequi docet non ex legem.

3a. Clarum sidus obcaecatis
Est Franciscus monstrans gratis
Collem immortalitatis
Ac fontem jucunditatis.

3b. Fontem vivum requiramus,
In quo sordes abluamus,
Aquas vivas hauriamus
Ut feliciter vivamus.

Miss. ms. Attilense anni 1454. Clm. Monacens. 3311. A. — Miss. ms. Franciscan. Monacens. saec. 14. Clm. Monacens. 8710. B. — 2b, 3 Paupertatem A. — 3b, 4 Et feliciter A. — Mel. jedenfalls die der marianischen Sequenz gleichen Anfangs (Kehrein 273).

214. De sancto Francisco.

1a. O Francisce, pater pie,
Sis lucerna nostrae viae,
Qui luxit sol pro die
Nunc et mortis articulo.

1b. Sis protector filiorum,
Informator quoque morum,
Intercessor peccatorum,
Tutor ab hostis spiculo.

2a. Qui solaris ut adspectus
Igneo in curru vectus
Casae fratrum es invectus
In caritatis aestibus.

2b. Fac nos tecum inflammari,
Moribus te imitari,
Ut tibi consociari
Possimus in coelestibus.

Miss. ms. Franciscan. saec. 15. Clm. Monacens. 23 277.

215. De sancto Francisco.

1a. Caput draconis ultimum
Ultorem ferens gladium
Adversus Dei populum
Excitat bellum septimum.

1b. Contra coelum erigitur
Et attrahere nititur
Maximam partem siderum
Ad damnatorum numerum.

2a. Verus de Christi latere
Novus legatus mittitur,
In cujus sacro corpore
Vexillum crucis cernitur.

2b. Fide protectus clipeo,
Spe galeatus, utitur
Mucrone verbi, baltheo
Vir castitatis cingitur.

3a. Franciscus princeps inclitus
Signum regale bajulat
Et celebrat concilia
Per cuncta mundi climata
Contra draconis schismata.

3b. Acies ternas ordinat
Expeditorum militum
Ad fugandum exercitum
Et tres catervas daemonum.
Quas draco semper roborat.

4a. Jussus a rege properat
Ad sempiterna gaudia,
Ut militum stipendia
Sanctus Franciscus exigat.

4b. Fac nos, pater piissime,
Patris haeredes gratiae,
Ut possint patris filii
Consortes esse gloriae.

Grad. ms. Francisc. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12. A. — Grad. ms. Francisc. saec. 15. Cod. Semin. Olomucens. VIII. B. — Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacens. 3311. C. — Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13. Cod. Parisiens. 1139. add. saec. 13/14. D. — Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 10503. E. — 1b, 2 Et nititur attrahere ABC. — 2a, 1 Verum de CD. — 3b, 1 Acies trinas AB. — 2b, 1—4 lauten in B:

Fide, spe, privilegio
Amoris sub vestigio
Parvitatis in filio
Caput serpentis diruit.

3a, 3 Concilium D. — 4b, 4 erigat A.

216. De sancto Francisco.

1a. Ad honorem salvatoris
Et Francisci confessoris
Plaudat intus, psallat foris
Humana devotio.

1b. Nexis hic exemptus foedis
Spernit haeres jus heredis,
Spernit merces spe mercedis,
Abit in cilicio.

2a Post repulsam monachorum
Curam gerens leprosorum
Fit exinde dux minorum
Et inventor ordinis.

2b. Fune renes dum suspendit,
Totum ejus cor ascendit,
Quantum unquam vix ascendit
Sensus in cor hominis.

3a. Vitam agens Deo gratam,
Mortem optat laureatam,
Sed profectus Damiatam
Illaesus repatriat.

3b. Fratres congratantur ei,
Coram quibus verbum Dei
Diversarum aciei
Volucrum annuntiat.

4a. Inter aves it et redit,
Quarum ei grex obedit,
Voce, quam natura dedit,
Laudans nomen Domini.

4b. Paci gaudent et saluti
Per Franciscum restituti,
Vident caeci, fantur muti,
Pausant energumeni.

5a. O mens simplex, mens benigna,
Caro pura, caro digna,
Signis mortis Christi signa
Praetendens similia.

5b. Cujus nunquam oblivisci
Nobis preces dent Francisci,
Sed per ipsum adipisci
Sempiterna gaudia.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339. Mit Mel. — 1b, 2 Sprevit.

217. De Stigmatibus s. Francisci.

1 a. Absit nobis gloriari
Nisi cruce salutari,
Qua Franciscus singulari
Gaudet privilegio;

1 b. Crucis haerens exemplari
Plagis clavisque signari
Meruit et decorari
Stigmatum quinario.

2 a. Gaudent suis ceteri
Sancti privilegiis,
Tam in lege veteri
Quam in novae filiis.

2 b. Franciscus signiferi
In te, Christe, proeliis
Dans se cursu celeri
Multis praeit aliis.

3 a. Noe salvat octo vitas,
Feras arcae sed invitas,
Super undasque finitas,
Signum capit nubium;

3 b. Hic dat octo suscitatis
Vitam, parent ipsi gratis
Ferae, sumit sanctitatis
Signum Dei proprium.

4 a. Abraham egrediens
Domum patris deserit,
Natum ut obediens
Necet, ensem exserit;

4 b. Iste totum exiens
Simul mundum conterit,
Christo mori sitiens
Memphi semet ingerit.

5 a Joseph fugit nudus paene
Vitans adulterium,
Fugit iste nudus plene
Carnis omne vitium.

5 b. Stirpis Moyses obscaenae
Sprevit nomen regium,
Hic originis terrenae
Nomen omne patrium.

6 a. Moyses calciamentum,
David ludens vestimentum,
Isaias in portentum
Omnes simul deserunt:

6 b. Nudat pedem sequens ducem
Iste Christum, gerens crucem
Cuncta deserit, quae lucem
Nudae crucis auferunt.

7 a. Innitens evangelicae
Normae religionis,
Assumit apostolicae
Modum legationis.

7 b. Nil possidens pecuniae,
Nil detinens in zonis,
Ne stirps sit avaritiae
Communibus in bonis.

8 a. In hac a te via strata
Stricta carni, cordi lata.
Jesu bone, tibi data
Vota serva pauperum.

8 b. Sit laus nostra tibi grata,
Tanto patre confirmata,
Cordis opesque dilata
Veniam dans scelerum.

Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 10 503.

218. De sancto Georgio.

1. Almam paribus
concinite diem modulis,

2 a. Qua mundum testis incliti
meritis sanxit
gloria Domini.

2 b. Qui respuens terrae sordida
delegit coeli
splendidi miracula.

3a. Furentis invida
regis ira,
fervens in quos
conspexit sequi numina.

3b. Fateri prohibens
nomen summi,
credulorum
praecepit vitam persequi.

4a. Digna tempsit,
prava cupivit,
fide carens crimen
multum peregit,

4b. Lenis flexo,
gravis invicto,
meditans deleri
fidem saeculo.

5a. Postquam mille
poenis hominum
maduit damnando Deum

5b. Saeviens quin
et gladius alma
resecavit vitalia.

6a. Decursis vitiis talibus
Christus fert opem suis,

6b. Latere martyris gloriam
Non volens tam nitidam.

7. Carnificis vesaniam
patitur, ultione
miranda gessione
comptam honore.

Clm. Monacensis (ol. S. Emmerami) 14 729. saec. 11. — Sequenz mit durchgängiger Endassonanz.

219. De sancto Georgio.

1a. Recolamus
Georgii sancti festum,
Alleluja,

1b. Qui hodie
Exsuperavit tyrannum
Fide firma,

2a. Asserens unum Deum
In coelo et in terra
Voce clara,

2b. Qui athletas coronans
Suos ad se suscipit
In gloria.

3a. Sicut aurum in flamma
Martyr inter tormenta
Fit diversa;

3b. Nec aurum incendia,
Nec martyrem tormenta
Vincunt saeva.

4a. Exsultant omnes sancti,
Angeli, archangeli
Die ista;

4b. Miles persecutoris
Devictis suppliciis
Scandit astra.

5a. Persecutor ejulat,
Georgius triumphat,
Deos suos conterit
Et idola.

5b. Coelorum agminibus
Sociatus dulcibus
Delectatur cantibus
Per saecula.

6a. Cujus prece sancta
Omni culpa tersa
Illuc tendamus
sine mora.

6b. In illa patria
Perpes laetitia,
Dulcis melodia.
Alleluja.

Miss. ms. Aquicinctense saec. 12. Cod. Duacens. 90. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101. B. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111. C. — Mel. = Laetabundus.

220. De sancto Georgio.

1. Ave, stella gloriosa,

2a. Gemma martyrum
pretiosa,

2b. Georgi martyr,
spes unica.

3a. Adest hic nunc tibi
plebs devota,
Adesto famulis et
cantica
fac Deo digna nostra.

3b. Jubilat caterva
palliata,
Dulces alternat cantus
sonora
conjungit et organa.

4a. O te, regum rex bone,
nos una benedicimus
semper, trinitas alma.
Mente devota.

4b. Quam praeclara et pulchra
praemia sanctorum,
via, vita et diadema,
Lux sempiterna.

5a. Coelica et terrea,
plaudite symphonia,
plaudat et canora,

5b. Hymnizet nectarea
diatessaron sua
diapente juncta.

6a. Diapason clara
ex his facta
surge, tinnula

6b. Dulcis melodia
et suavis,
ede carmina.

7a. Nunc te, Georgi,
dilecta
precatur turma,
ubique nos guberna,

7b. In angelica
curia
nostra opera
excusa fragilia.

8a. Post te nos trahe tua
manu beata
ad aeterni
regis regna
Illa superna.

8b. Illic albescunt lilia,
rubet et rosa
redoletque
mira balsama
Felix patria.

9a. Jesus quo sua
gaudet cum sponsa
ejus sola
summa gratia.

9b. Illi gloria,
laus mellitlua
saeculorum
sit in saecula.

10a. Amen, clamemus
voce magna,

10b. Salve, coelestis
margarita.

Grad. ms. Longoretense saec. 13. Cod. Paris. 10 511 A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 318. B. — 2b, 1 Vincenti martyr B. — 3b, 3 Dulcis A. — 5a, 1 aetherea A; et terrena B. — 6a, 1 diapason vera B. — 7a, 1 Vincenti B. — 7a, 4 pro nobis semper ora. — 8a, 4 regis aulam. B. — 8a, 5 illam supernam B. — 8b, 1 Illuc A.

221. De sancto Georgio.

1. Nunc nobis succurre,
sancte Georgi,

2a. Ut laudes
demus tibi dignas,
o Georgi.

2b. Cui nullus
dignior est laude,
o Georgi,

3a. Tu multos vincis,
o Georgi.

3b. Tu regem vincis
o Georgi.

4a. Tu Dacianum fervidum
confudisti,
o Georgi

4b. Tu Christianos plurimos
convertisti,
o Georgi.

5a. Vidua
panem tibi donare
denegavit, o Georgi.

5b. Angelus
te cum coelesti cibo
satiavit, o Georgi.

6a. Viduae filium
tu salvasti,
o Georgi.

6b. Idola plurima
destruxisti,
o Georgi.

7a. Daemonem
in abyssum demersisti.
o Georgi.

7b. Reginam
Alexandrinam credere
tu fecisti.

8a. Tormenta
omnia sprevisti
o Georgi.

8b. Tu minas
nihil timuisti
o Georgi.

9a. Nos juva,
martyr Georgi.

9b. Nos salva,
sancte Georgi.

Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 24002. A. — Miss. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Pragens. P 1. B. — Miss. ms. Pragense XII C 5 anni 1482. C. — Miss. ms. Tiechobucense saec. 15. Cod. Pragens. XIV B 17. D. — Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. E. — 1, 2 sacrate Georgi C. — 3a, 1 Tui nullus D; qui nullus C. — 3a, 1 sq. fehlt BC: multos convertis A; Tu iotrem [sic] vincis D. — 3b, 1 sq. fehlt D. — 4a, 1 sqq. fehlt D. — 4b, 2 convertis BCD. — 5a, 2 donare fehlt D; dare AB. — 5b, 1 sqq. fehlt AB. — 6a, 1 sqq. fehlt B. — Str. 8a und 8b fehlen BCD.

222. De sancto Georgio.

1a. Omnis terra psallat Deo
Pro tam nobili trophaeo
Martyris Georgii,

1b. Qui devicto jam tortore
Regem cernit in decore,
Fontem omnis gaudii.

2a. Miles bonus, pugil fortis,
Inter mille poenas mortis
Permansit intrepidus,

2b. Intus erat, qui pugnavit,
Intus, qui sic triumphavit,
Amor Dei validus.

3a. Foris angunt tot tormenta,
Sed in coelum mens intenta
Bellatoris incliti

3b. Nullam sensit laesionem,
Intus habens unctionem
Spiritus paracliti.

4a. In equuleo levatur,
Ferro, flamma cruciatur,
Laceratur ungula,

4b. Sed cruore suo lotus
Intrat martyr mundus totus
Coeli tabernacula.

5a. Salve, martyr gloriose,
Vir illustris et famose,
Digne mille laudibus,

5b. Tuo lava nos cruore,
Tuo fove nos amore,
Tuis salva precibus.

Miss. ms. Herfordiense saec. 15. Cod. Berolinens. Fol. 443.

223. De ss. Gordiano et Epimacho.

1. Gaudendum nobis,
suadent hujus
diei festa,

2a. Victorum agone
serena

2b. Palmaque perenni
dicata.

3a. Quos pius atque fidelis
imperator
post bella peracta

3b. Praemia congaudens ipsis
perduxerat
clemens ad aeterna.

4a. Nam Gordianum,
perditi principis
subsecutum
vota maligna,

4b. Nutu coelesti
monitum docuit
meliora
subire castra.

5a. Et idem,
qui prius terrena
nescius
exercebat lucra,

5b. Protinus
impiger et audax
belliger
assumpsit superna.

6a. Judex impius
uritur
ira saeva
martyrque laetatur
mente clara,

6b. Post Epimachum
volitans,
quem jam dudum
hac die colebat
plebs superna.

7a. Horum ergo meritis,
Domine,
supplicantum
terge delicta,

7b. Quorum laudes ad tuam
gloriam
celebramus
voce devota.

8. Tu rege, Christe, corda.

Trop. ms. Mindense anni 1024. Cod. Berolinens. IV. 11. — Mel.: „Romana“.

224. De sancto Gorgonio.

1. Concinat
plebs devota laudes
coeli, terrae Domino

2a. Vocibus alternis
organicisque modulis

2b. Carminis et suavi
congeminetur jubilum,

3a. Hunc diem praeclarum
qui nobis
et gloriosum reddidit

3b. Nobilis athletae
praeclaro
certamine Gorgonii.

4a. Qui constanter
poenarum devicta
multiformi specie

4b. Collegio
consertus martyrum
laureatus triumphat.

5a. Quam beata Christi
confessio nominis,
Quam verbera, flagra,
carceres, carnifices,
ignes, equulei,
lampades,

5b. Quam liquoris acri
perfusio salisque,
Quam tormenta nulla
praevalent evellere
sui de corpore
militis.

6a. O martyr invicte,
o splendidulum
beati martyris
speculum!

6b. Servorum precatus
aure placida
jam nunc suscipito,
Gorgoni.

7a. Tu namque spernens gloriam
temporalem,
fasces respuens
palatinos
pro Domino carnem
supliciis dederas.

7b. Nunc ergo coeli civibus
sociatus,
palmam retinens
triumphalem
praesentia Jesu
piissimi frueris.

8a. Et nos vota persolventes
melodiis
tibi clarisonis
pangimus.

8b. Tu famulos tua festa
celebrantes
regnatori Deo
commenda,

9. Ut clemens peccamina
laxet, pacem tribuat
vitam concedat aeternam.

Trop. ms. Mindense anni 1024. Cod. Berolinens. IV. 11. add. saec. 12 — 6a, 3 sancti martyris. — 7a, 3 faces respuens. — 8b, 2 celebrantes, precamur (dieses überzählig) regnatori Domino.

225. De sancta Helena.

1a. In sanctorum jugi laude,
Plebs devota, Deo plaude,
Qui in sanctis est mirabilis;

1b. Inter quos splendet Helena,
Fide, spe, amore plena,
Sponsa Christi venerabilis.

2a. Haec inventrix sanctae crucis
Adimplevit opus lucis
Pio cordis desiderio,

2b. Sacrosanctam passionem
Crucis per inventionem
Omni venerata studio.

3a. Patent adhuc sacra vota
Dignae matris longe nota
In templorum aedificiis,

3b. Quae per orbem struens plura
Larga sublimavit cura
Et augmentavit divitiis.

4a. Gaudet ergo nunc in caelis
Dispensatrix haec fidelis
Inter angelorum milia.

4b. In vestitu deaurato
Et amictu variato
Ferens caritatis lilia.

5a. Sponsa
Christi sancta et decora,

5b. Christum
pro nobis instanter ora.

6. Qui nos redemit in victoria
Ipsi perennis laus et gloria.

Grad. ms. Franciscan. in Hüls saec. 15. A. — Miss. ms. Novesiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12063. B. — 2b, 3 Omnium A. — 3a, 1 Parent adhuc B. — 4b, 2 Et amicta variatu A.

226. De sancta Helena.

1a. In honorem summi regis
Psallant gregis novae legis
Fides, spes et caritas.

1b. Omnis psallat sexus rite,
In hoc festo vocis, vitae
Nulla sit disparitas.

2a. Honoranda quo Helena
Coeli statu jam amoena
Vivit multifario.

2b. Adstat quippe regi data
Fulgens secum coronata
In vestitu vario.

3a. Nobilis haec a parente
Utrobique praepotente
Fuit Treverigena.

3b. Dehinc Constantinus divus,
Romanorum praecipivus,
Regnat Helenigena.

4a. Et haec vitat paganismi
Fana se dans Judaismi
Ritibus legalibus.

4b. Visis a Silvestro signis
Baptizatur fide dignis
Digna spiritalibus.

5a. Votis Christo mox arrisit
Crebris necnon manum misit
Haec fortis ad fortia.

5b. Indos, Armenos, Ibere,
Teque fert ad sacra vere
Fidei consortia.

6a. Princeps sancta visitavit
Loca donis et dotavit
Ea multiplicibus.

6b. Pallet fraus tunc Arriana
Sed et Christi crescit plana
Fides in fidelibus.

7a. Et sic sacra operatur
Simul quoque contemplatur
Vitam gerens geminam.

7b. Regi regum tanta vivit,
Vita parem ut hunc scivit
Nemo fore feminam.

8a. Vacat mater haec egenis
Corde pia, verbo lenis
Opereque stabilis:

8b. Ultro quaerit crucis lignum,
Reperit, exaltat dignum
Laude peramabilis.

9a. Reges sacra tres collegit
Et Thebaeis multa egit
Sacris libatoria,

9b. Demum carpit haec supernum
Regnum regnans in aeternum
Celebri memoria.

10a. Et benigna sic matrona
Gustat, videt, ejus bona
Est negotiatio;

10b. Faxit ergo Deus ei,
Ut sit nobis requiei
Perpes secum statio.

Grad. ms. Margarethae Scheiffart de Merode, saec. 15. Cod. lat. 259. Musaei Hungarici. — Mel.: Majestati sacrosanctae. — 10b, 1 Fecit ergo Hs.

227. De sancta Hemma.

1a. Hierusalem superna,
Tibi aucta est lucerna
Virtutum omnium laterna
In sancta Hemma clarius,

1b. Haec nam coelicolatum
Plus quam terricolatum
Dilexit incolatum,
Transit hinc felicius.

2a. Nam fide redimita,
Spe quoque fulcita,
Caritate polita
Triumphavit firmiter;

2b. Praeceptum salvatoris,
Sui amatoris
Sectans, hinc erroris
Gazam sprevit sagaciter.

3a. Pauperibus donavit,
Coenobia ditavit,
Diversum consummavit
Opus misericordiae.

3b. Semet ipsam sprevit
Divinis sed accrevit,
Quibus inolevit
Sagax cedens vecordiae.

4a. Gurcam illustravit,
Affatim quam pavit,
Ibi demum dicavit
Corporis suffragium.

4b. Spiritum invexit
Coelo, quem dilexit,
Deus hinc porrexit
Multis hic subsidium.

5a. Debiles curavit,
Infirmos restauravit
Plerisque flagravit
Palam claris miraculis.

5b. O felix nunc patrona,
Nobis posce bona
In coelis, ne nos zona
Stygis stringat jaculis.

6a. O gemma sublimata,
Coelitus ditata,
Pro nobis prece rata
Stes semper apud Dominum;

6b. Coelestibus ut freti
Tibi jungamur laeti
Expertes omnis meti
Vitae post hujus terminum.

Miss. ms. Gurcense saec. 15. Hs. des histor. Vereins in Klagenfurt 332. — 1a, 3 Virtutum omnium alerna. Hs.

228. De sancto Henrico.

1a. Laus Deo et gloria,
Honor, virtus, victoria,
Coelestis harmonia

1b. Laus ejus in tympano
Choro, chordis et organo
Solemnis symphonia.

2a. De coelo nova gratia
Exorta refulget
Nova laetitia:

2b. Spes nostra, salus, gloria
Regis Heinrici
Sancta memoria.

3a. Quo regnante justitia,
Pax, religio,
Regnum floruit cum sacerdotio,
Ecclesia Christi gloriosa.

3b. O felicis imperii
Rex catholicus,
Pater patriae, rex apostolicus,
Gemma confessorum pretiosa.

4a. Supra petram sapientis
Aedificia
Nunquam movebit
Ventus, flumen, pluvia.

4b. Larga merces largientis
Deo omnia,
Nunquam accedit
Fur, aerugo, tinea.

5a. Laetus hodie
Migravit ad thronum gloriae
Victa mortis molestia.

5b. Quem rex coelorum
Cum triumpho angelorum
Invexit ad coelestia.

6a. Haec dies, in qua inventa
Margarita,
Lucerna candelabro
Superposita.
Divina
Lucent miracula.

6b. Haec dies, in qua gratia
Sanitatis
Per sacras reliquias
Multis sanatis
Miranda
Praebet spectacula.

7a. Romanus
Inde pontifex pius
In honore
Regis Eugenius
Votiva innovat
Natalitia.

7b. Precamur
Voce, votis, munere,
Mereamur
Ut petita capere
Ejus interventu
Beneficia.

8a. Hic petentes accipiunt,
Hic quaerentes inveniunt.
Pulsanti aperientur
Ostia.

8b. Hic munera gratiarum,
Medicina animarum,
Aeterna percipientur
Gaudia.

9a. Ubi in aula rex aetherea
Sidus novum resplendens aurea
Corona capitis inclita,

9b. Ubi imperium immortale,
Libro vitae scriptum memoriale,
Laus et gloria infinita.

10a. Jam, pater, exaudi
Insistentes nos tuae laudi,
Christo regi
semper reconcilia.

10b. De sede superna
Nos respice, tege, guberna,
Benedictus
noster rex, in saecula.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. S. Pauli ad Laventum memb. 7. — 7a, 5 Votiva novit Hs.

229. De sancto Hieronymo.

1a. Corde, voce pulsa caelos,
Triumphale pange melos.
Militans ecclesia,

1b. Doctor sacer Hieronymus,
Pro quo tam laete canimus,
Triumphat in gloria.

2a. Hic vir clarus et insignis,
Natus oppido Stridonis
De patre Eusebio,

2b. Trina lingua eruditus,
Est scientia repletus
Cum frequenti studio.

3a. Dum sic legit Ciceronem,
Philosophos et Platonem,
Emendatur verbere,

3b. Cardinalis post effectus,
Ad Orientem profectus
Est abjecto onere.

4a. O quam mirae sanctitatis
Culmen sed et pietatis
Ascendit in eremo,

4b. Scorpionum et ferarum
Comes factus, puellarum
Vexabatur stimulo.

5a. Bethlehem postquam secessit,
Fama viri innotescit
Toto orbis tramiti,

5b Leo saevus et immitis
Fit domesticus et mitis
Virtute Hieronymi.

6a. Longo aevo jam confectus,
Christo regi tam acceptus
Ad Deum perducitur,

6b. Ubi Deo quam sit gratus
Quamque carus, quam dilectus,
Signis claris panditur.

7a. Sic exutus carnis molem,
Jesum videt, clarum solem,
Patris unigenitum,

7b. Lumen vidit in lumine,
Cujus vitemus numine
Gehennalem gemitum.

8a. O interpres verbi Dei,
Ad coelestis nos diei
Perduc luminaria,

8b. Nos ad portum ex hoc fluctu,
Nos ad risum ex hoc luctu
Tua perduc gratia.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. B. — 8b, 3 Tua trahat B.

230. De sancto Hilario.

1. Sancti praesulis
celebremus gaudia,

2a. Doctorem et patronum
resonet
vox Hilarium.

2b. Quem Christus pro columna
erexit
in ecclesia.

3a. Laicus ipse
inter summos Galliae

3b. Lux erat, alter
in hoc mundo lucifer.

4a. Lucerna
Christi non latere
in absconso potuit,

4b. Fit praesul
manifestus orbi,
verus cultor Domini.

5a. Nubem tenebrosam
criminum
luce fugavit dogmatum

5b. Et haereticorum
proelia
devicit armis fidei.

6a. Potentiam
imperatoriam
spernens tumidam

6b. Constantium
arguit perditum
sectis Arrii.

7a. Exsilium
missus praesul
venit Phrygiam, illuc
directus ob invidiam.

7b. Hinc reversus
roboravit
cum fiducia Christi
synodum in Seleucia.

8a. Ibi omnibus
per verbum suum
fides vera
revelatur pleniter.

8b. Gaudet synodus,
triumphat clerus,
fugit omnis
vero falsa haeresis.

9a. O admirandam
unius oris
hanc facundiam,

9b. Qua intonante
hostium mille
cadit rabies.

10a. Postquam pastor
oves revisit
proprias
Pictavensi cathedra,

10b. Miraculis
potentissimum
prodidit
confessorem Dominus.

11a. Sanctae crucis
per signum fugat
serpentes
et mortuos
fide suscitat.

11b. Lumen caecis
et gressum claudis,
leprosis
uniformem
dedit speciem.

12a. Nunc salutis
auctorem Deum,
ut nos omnes
meritis hujus sancti
confirmet,
rogitemus supplices.

12b. Nos sacerdos
et exorcista
suus curet,
hilaris Hilarius,
et meritis
nos Martinus muniat.

13. Sit decus trinitati
perenni.

Miss. ms. S. Laurentii Longoretensis saec. 14. Cod. Parisiens. 1106. A. Miss. Pictavense imp. Parisiis 1541. B. — 5a, 3 purgavit B. — 7b, 4 synodum Seleuciam B. — 8b, 4 caesa vera haeresis B. — 12a, 3 omnes ut nos B. — Mel. — Occidentana.

231. De sancto Hippolyto.

1a. Ad triumphalia
Martyrum gaudia
Surgat ecclesia,

1b. Cantica dulcia
Canat cum gloria
Coelestis curia.

2a. Quae cruore rubicunda.
Hujus mundi moribunda
Experta ludibria.

2b. Coelos petit laetabunda,
Qua sanctorum sunt jucunda
Civium consortia.

3a. Inter quos ut radius
Solaris eximius
Emicat Hippolytus.

3b. Quem lavat Laurentius.
Torquet furens Decius,
Fitque martyr inclitus.

4a. Ergo dulcis Christi testis,
Juva reos, affer maestis
Opem tuae gratiae,

4b. Quos peccati triplex restis
Ligat, rodit, urit pestis
Malae conscientiae.

5a. Tuis protegamur alis.
Ne nos tortor gehennalis
Trahat reos in exitium;

5b. Regem aulae virginalis
Tua prece nostris malis
Et peccatis fac propitium.

Miss. ms. Hilariense X anni 1458. A. — Miss. ms. Voraviense 35. saec. 15. B. — Miss. ms. S. Floriani III. 205. saec. 15. C. — Miss. ms. Claustroneoburgense 617. saec. 15. D. — Brev. ms. Palat. Vindob. 1828. anni 1399. D. 1b, 2 omni gloria A. — 2a, 1 De cruore A. — 3b, 1 Quem laudat A.

232. De sancto Jacobo.

1a. Auster, veni, flatu leni
Perfla mentem frigescentem
Peccatorum frigore,

1b. Lingua torpens relaxetur
Laus patrono triplex detur
Corde, verbo, opere.

2a. Hic secretae visionis
Et transfigurationis
Dum meretur gratiam,

2b. Intus totus inflammatus
Visa verbis protestatus
Invitat ad gloriam.

3a. Natus iste Zebedaei
Destinatus nutu Dei
Transivit Samariam,

3b. Verbum vitae praedicando,
Dicta signis confirmando
Per eorum copiam.

4a. Caecis visum, claudis gressum
Reddit, solvit et possessum
Adductum per daemonem;

4b. Mortuos resuscitando
Et Philetum liberando
Convertit Hermogenem.

5a. Hac virtute vir tam magnus
Est per funem mitis agnus
Ductus ad martyrium,

5b. In hoc sanat decumbentem
Et baptizat se ducentem
Passionis socium.

6a. Tandem martyr decollatur,
Corpus raptum clam portatur
Per mare Galitiam.

6b. Insequentes submerguntur
Et ducentes proteguntur
Per dei clementiam.

7a. Sicut vivus sublimatus,
Sic post mortem est probatus
Corruscans miraculis;

7b. Nam, Calixtus ut testatur,
·Cor contriti non celatur,
Scriptum delet sceleris.

8a. Infecundam fecundavit
Et viginti liberavit,
Fido reddit spiritum,

8b. Peregrinum conservavit,
Dum suspensum animavit
Patri reddens filium.

9a. Decollandus adjuvatur,
Fesso pie suffragatur,
Reficit famelicum,

9b. Tacti plaga festum colunt,
Quod servare primum nolunt
Lotus, pistor, rusticus.

10a. Audi, pater, implorantes
Nomen tuum collaudantes
Corde, voce supplices;

10b. In hoc mundo fluctuantes
Fide, voto remigantes
Nos supernis applices.

Miss. ms. S. Blasii anni 1491. Cod. S. Pauli ad Laventum membr. 64.

233. De sancto Jacobo.

1a. Christus Jacobum vocavit
Et Johannem, quos amavit,
Et germanos appellavit
Filios tonitrui;

1b. Jesum Jacobus cum fratre
Sequitur relicto patre,
Petens mediante matre
Rerum sede perfrui.

2a. Calix illi praemonstratur,
Per quem passio signatur,
Jacobo, qui primum datur
Ab Herode reprobo;

2b. Dum puella suscitatur,
Christus dum transfiguratur,
Dum clam pater invocatur,
Fit praesente Jacobo.

3a. Intromissus hic ad ista
Fratre cum evangelista
Christi martyr et symmista
Bis sex e discipulis.

3b. Ergo ex apostolorum
Protomartyr nos suorum
Solvat ope meritorum
A culpae decipulis.

Grad. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacens. 6418. A. — Miss. ms. S. Floriani III 205. saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindob. (ol. Lunaelacensis) 4977. saec. 15. C. — Mel.: Verbum bonum. — 3a, 2 Christi major AB. — 3b, 3 Culpae nos a poenis C; a culpis decapulis A.

234. De sancto Jacobo.

1a. Coelum verbo confirmatum
Verbum narrat incarnatum,
Verbi quoque gloriam;

1b. Hoc in verbo coelum tonat,
Nubes currunt, ignis donat
Spiritalem gratiam.

2a. Rorat aether, terra mater
Profert germen, mundi crimen
Quo deletur coelitus;

2b. Mundi flore desiccato
Flos de virga prodit, homo
De Maria genitus.

3a. Instar nubis spiritalis
Cadit imber specialis,
Jacobus quo maduit;

3b. Sicut vellus Gedeonis
Concham replet gutta roris,
Israel refloruit.

4a. Turtur sonat, vox auditur,
Credunt gentes, baptizantur,
Humectatur area;

4b. Turris David exaltatur,
Quo Damascus expugnatur
Ventilatur palea.

5a. Templum veri Salomoñis
Bases tenent cum columnis
Architecti studio;

5b. Hoc in templo citharista
David canit et sophista
Jacobus cum gaudio.

6a. Hic Phileti vincla solvit
Et phalangas propulsavit
Acherontis putei;

6b. Hermogenem seductorem
Christo sacrat et cultorem
Verae facit fidei.

7a. Profert imbrem scripturarum.
Lepram curat animarum
Medicante gratia;

7b. Ut columba carens felle
Dulciora gerit melle
Cordis penetralia.

8a. Hunc Herodes infidelis
Ensis truncat et crudelis
Perimit saevitia;

8b. Cum Josia pharisaeo
Reddens vota summo Deo
Deserit terrestria.

9a. Pacem donat hinc recedens
Summae pacis dona ferens,
Digna vitae praemio;

9b. Clarum sidus firmamenti,
Tempestatem elementi
Tuo placa radio.

10a. Vero soli sociatus
Et in coelo collocatus
Luce sub continua

10b. Ora regem, suum gregem
Ne relinquat sed perducat
Ad aeterna pascua.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 318. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 319. B. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 321. C.

235. De sancto Jacobo.

1a. Tonitrui vox in rota
Jacobus, qui fide tota
Tibi solvit pia vota,
Jesu, rector coelice.

1b. Vocis tuae sono crevit,
Luxum carnis pro te sprevit,
Suave jugum ferre suevit
Legis evangelicae.

2a. Nubes currit pluviosa,
Sata spargit fructuosa,
Monstra fugat tortuosa
Baal per Samariam.

2b. Hermogenem cum Phileto
Fidem docet ore laeto,
Pacem spondet hoste spreto
Damnans idolatriam.

3a. Ad fenestram evolavit
Ut columba, dum rogavit
Dextrae sessum, sed formavit
Illum tua ratio

3b. Ad gustandum mortis merum;
Te cognovit Deum verum,
Dum coelestem probat herum
Te transfiguratio.

4a. Fonte sacro te sudantem,
Vultum patris implorantem,
Cruce vidit triumphantem
Pietatis facie.

4b. Sub Herode demum captus
Et ad poenam mortis raptus,
Vitam finit sanctis aptus
A mucronis acie.

5a. Ergo martyr et patrone,
Odor agri pleni bone,
Gregem tuum Christo pone
Collaetari jugiter.

5b. Vitae sequens non turbetur,
Tibi psallens consoletur,
In te sperans coronetur
Cum justis sublimiter.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 50. saec. 15. A. — Miss. ms. S. Jacobi Brunens. 16. saec. 15. B. — 5a. 2 Nydor agri A.

236. De ss. Ingenuino et Albuino.

1a. Innoventur hac in die
Soni dulcis symphoniae
Ad festiva gaudia,

1b. Et in laude confessorum
Vox erumpat, laeta quorum
Subest jam memoria.

2a. Vinea apostolica
Cura sub oeconomica
Horum est propagata.

2b. Quae fructum dans uberius
Flores effudit latius
Imbribus his rigata.

3a. Quorum hausit ex doctrina
Mundus mel et lac divina
Procurante gratia,

3b. Quae sermones inspiravit
Et eosdem roboravit
Per signa sequentia.

4a. Sic suscitato multo germine
Sparso fideliter ex semine
Verbi evangelici

4b. Angelorum nacti consortium
Supernorum cives sunt civium
Ac Dei domestici.

5a. Exsultet polus
His pollens sideribus,
Applaudat tellus
Cunctis cum fidelibus
Et tu, Brixina felix,
ex gratia multifaria

5b. Sanctis ditata
Praesulum corporibus,
Irradiata
Lucernis coelestibus
Gaude et lauda Deum,
a quo gaudii materia.

6a. In sanandis et sanatis
Debilibus sanctitatis
Merita declarantur,

6b. Nam morbosi mente pura
Supplicantes his pro cura
Mirifice sanantur.

7a. Vos igitur Dei confessores,
Gemmae coeli, paradisi flores,
Ab aegrotis animae languores
Perpetuos effugate,

7b. De terra peregrinationis
Et a convalle plorationis
Nos in montem exsultationis
Vestra prece sublevate.

8. Praestet nobis hoc divina majestas,
Cui sit gloria, laus et potestas,
Ut nos summa decoret honestas,
O domini, exorate.

Miss. ms. Brixinense anni 1372. Cod. Oenipontan. 295. A. — Miss. ms. Brixinense saec. 15. Cod. Oenipontan. 15. B. — Miss. Brixinense imp. 1511. C. — Der Abdruck bei Kehrein 492 aus dem Codex Brander ist, abgesehen von den Fehlern (vgl. 2, 2), nur ein Bruchstück. Von Str. 4 an war eben die Sequenz für die Sankt Galler Mönche nicht mehr zu gebrauchen.

237. De sanctis Innocentibus.

1a. Dies haec nos admonet,
Vox ut nostra resonet
Laudes in laetitia,

1b. Clerus et plebs laica
Pariter dominica
Canant beneficia.

2a. Qui lactentes pueros,
Ab Herodis laceros
Perfidi saevitia,

2b. De lacu miseriae
Captos loca gloriae
Tulit ad felicia.

3a. Coetus innocentium
Ductus est ad gaudium
Raptus a tristitia,

3b. Ad coelos ab inferis,
Ad risum a lacrimis,
Ad jus a malitia.

4a. Raptus ab hoc carcere
Triumphat in aethere
Coeli cum militia,

4b. Verae vitae gloria
Post haec transitoria
Fruuntur supplicia.

5a. O vere pueruli,
Quos non hujus seculi
Deturparunt vitia,

5b. Sed nec lingua nocuit,
Quibus nondum adfuit
Sermonis peritia.

6a. Mercedem obtinuit,
Coeli sedem meruit
Sanguis et munditia;

6b. Igitur stupescimus,
Quoties recolimus
Haec Dei judicia.

7a. Quem precamur humiles,
Ut defendat fragiles
Hostis a nequitia

7b. Martyrum suffragio.
Quorum nostra concio
Colit natalitia,

8. A malo nos eruat,
Aeterna nos induat
Cum sanctis justitia.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2. anni 1438. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 1. saec. 15. B. — Miss. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacens. 14 88 . C. — 1b, 3 Cantat A: canat B. — 3a, 3 Captus a tristitia A. — 4b, 1 O verae vitae AB.

238. De sancto Joachim.

1a. Concinamus in hac die
Patri virginis Mariae
Felici cum memoria.

1b. Ortum ejus de regali
Stirpe atque prophetali
Vetus promit historia.

2a. Ave, pater gloriose,
Semper vivens virtuose
Dono summae deitatis,

2b. Coeli gaudent tua prole,
Magis pulchra poli sole
Ope sanctae Trinitatis.

3a. Hic est, de cujus germine
Natus est sine semine
Rex regum omnis gloriae.

3b. Hierarchia hunc coelestis
Laudet semper et terrestis
Propter amorem filiae.

4a. Maria, cum sancto patre
Et Anna dilecta matre
Nobis implora veniam,

4b. Ut vitiis expurgati
Virtutibusque ornati
Puri scandamus patriam.

5a. Salve, consors angelorum
Civiumque supernorum
Ut stella clara rutilans,

5b. Gaude splendor electorum,
Nobis esto norma morum
Deo nos reconcilians.

6a. Vale, pater egregie,
Placato rege gloriae
In hac valle miseriae

6b. Praeclara Dei facie
Da perfrui in requie
Sanctorum summae curiae.

7a. O pater reginae caeli,
Nos tibi mente fideli
Laudes reddimus debitas,

7b. Ut hostes nostros vincamus
Erroresque fugiamus,
Sit in omnibus unitas.

Grad. ms. Strahoviense H 0 1 saec. 16. Ohne Melodie.

239. De s. Johanne Baptista.

1a. Jubilemus in hac die,
Qua Baptistae Christi pie
Colitur memoria,

1b. Qua vox verbi syncopatur,
Mundi splendor obumbratur,
Morte transitoria.

2a. Qui de coelo nuntiatur,
Nasciturus praemonstratur
Gabriele nuntio,

2b. Vix formatus exsultavit,
Jesu contripudiavit
Clausus adhuc utero.

3a. Mox in lucem genitus,
Clausam patri penitus
Linguam reseravit,

3b. Quem virtutum fasciis
Jam perplenum gratiis
Maria ligavit.

4a. Hic est verus eremita,
Cibo, potu, veste, vita,
Meritorum titulis;

4b. Virgo, martyr et propheta
Transit omnes sine meta
Praemiorum cumulis.

5a. Audi verbum Christi verum:
Inter natos mulierum
Nullus major exstitit,

5b. Ortu, vita, verbo, morte,
Gratiarum dispar sorte
Sanctior effloruit.

6a. Felix, per quem gratia,
Virtus et justitia,
Mundo praedicatur,

6b. Lavat ad munditiam,
Cum ad poenitentiam
Populos hortatur.

7a. Ab Herode post vincitur,
Virtus mundi compeditur
Taetro clausa carcere,

7b. Vas sacratum profanatur,
Caput sanctum amputatur
Trucis ferri verbere.

8a. Transit morte pretiosa
Candens lilium et rosa
Rubens vir angelicus,

8b. Parte sui meliore
Viget regnans in decore
Vates evangelicus.

9a. Laudes ergo dominico
Baptistae dulci cantico
Vox amoena

9b. Canat, ut vitet devia
Ducis sequens vestigia
Mens serena.

10a. Et tu, clara lux, dux bone,
Johannes, dulcis patrone,
Spes piarum mentium.

10b. Te colentes, te sequentes
Duc, conduc, perduc gaudentes
In terram viventium.

Grad. ms. Dusseldorpinum D. 11. saec. 15. — Mel.: In coelesti hierarchia.

240. De s. Johanne Baptista.

1a. Elisabeth Zachariae
Magnum virum in hac die
Gloriosa genuit,

1b. Qui, virtutum vas sincerum,
Inter natos mulierum
Principatum tenuit.

2a. Nondum natus sensit regem
Nasciturum juxta legem
Sine viri semine,

2b. Deum sensit in hac luce
Tamquam nucleum in nuce
Conditum in virgine.

3a. Quam beatus puer natus
Salvatoris angelus,

3b. Incarnati nobis dati
Verbi vox et bajulus.

4a. Non praecedit fructus florem,
Sed flos fructum, juxta morem
Agri pleni dans adorem
Mentibus fidelium;

4b. Viam parat et ostendit,
Ubi pedem non offendit,
Qui per fidem comprehendit
Verum Dei filium.

5a. Lege vitae sub angusta
Mel silvestre cum locusta
Cibum non abhorruit,

5b. Camelorum tectus pilis
In deserto quam exilis,
Quam bonus apparuit.

6a. Verba sunt evangelistae:
Lux non erat, inquit, iste
Sed ut daret tibi, Christe,
Lucis testimonium;

6b. Lux non erat sed lucerna
Monstrans iter ad superna,
Quibus suum pax aeterna
Pollicetur gaudium.

7a. Contemplemur omnes istum,
Quem sperabat turba Christum
Stupens ad prodigia.

7b. Qui cervicem non erexit
Nec se dignum intellexit
Domini corrigia.

8a. A suo tempore
Divino munere
Coelum vim patitur
Et violentiae
Cum poenitentiae
Fructu conceditur
Gratis, non merito.

8b. Quem vates ceteri
Sub lege veteri
Canunt in tenebris,
In carne Dominum,
Figuris terminum,
Propheta celebris
Ostendit digito.

9a. O quam sanctum, quam praeclarum,
Qui viventium aquarum
Fontem, Christum baptizavit
Et lavantem cuncta lavit
In Jordanis flumine.

9b. Ab offensis lava, Christe,
Praecursoris et baptistae
Natalitia colentes
Et exaudi nos gementes
In hac solitudine.

10a. Post arentem et australem
Terram animae dotalem
Petimus irriguam,

10b. Ut manipulos portantes
Veniamus exsultantes
Pacem ad perpetuam.

Grad. ms. Dusseldorpinum D. 11. saec. 15.

241. De s. Johanne Baptista.

1a. Fulgore perenni
ecce rutilat
dies ista saeculo
donans gaudia,

1b. Lucerna Johannes
coeli perlustrat
rem publicam, splendidus
Christi gloria.

2a. Praecellit patriarchas
nec non et prophetas,

2b. Angelis consimilis
dignitate summa.

3a. O plus quam propheta,
gemma sanctorum clara,
paradisi diadema,
mundi stella
Et lampas splendiflua.

3b. Victrici cum palma
sublimatus exsultas
inter choros angelorum,
cernens altam
Deitatis usiam.

4a. Tu saeculi dominum
Jordanis in fluenta

4b. Meruisti tingere.
o Johannes baptista.

5a. Tam benigna
tam gloriosa
meritorum
obtines insignia.

5b. Quis sanctorum
hac promeruit
sublimari
honoris potentia?

6a. Fideles, jam psallite
laudibus
dantes clara gaudia.

6b. Devotis obsequiis
colite
modo haec solemnia

7a. Praecursoris inclita.
Rex regum,
Deus. tibi
semper summa potestas,
Sit virtus, laus, gloria,

7b. Qui gubernas omnia.
Jam nostra
clemens vota
fac tibi dignissima
Johannis per merita.

8a. Amore flagranti
nostras mentes irradia,

8b. Concedens beata
nobis indignis gaudia.

9a. Ut tibi melos cantemus
laude perpetua,

9b. Quo tecum semper regnemus
laeti per saecula.

10. Amen vox sonet nostra.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101 mit Mel. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111 B. — 2a, 2 et fehlt A. — 3b, 1 cum fehlt AB. — 7a, 5 et gloria AB.

242. De s. Johanne Baptista.

1a. Christi baptista
permaxima
mundi dona

1b. Natali suo
accumulat
gaudiis celebranda.

2a. Sterilem matrem
reddens fecundam,

2b. Patris et linguae
solvens vincula.

3a. Sanctorum merita
et supernorum cuncta

3b. Qui solus indicat
nomine et gloria.

4a. Quem nondum viscera
materna profuderant,

4b. Christum in utero
virginali senserat.

5a. Archangelus, angelus,
patriarcha,

5b. Vates, propheta et plus
quam propheta.

6a. Vox, index et praeco,
sacerdos, praecursor
et baptista,

6b. Nec non apostolus,
eremi cultor,
anachoreta.

7a. Sponsi ad gaudia
collaetabundus
amicus, vota
votis ingeminans pia,

7b. Evangelistaque
virgo, confessor
et paranymphus,
ardens lucensque lucerna.

8a. Et virtutum schola
sanctitatisque forma,

8b. Poenitentum via,
peccatorum venia.

9a. Ideoque voce major
ex dominica

9b. Stirpe progenitus exstat
de feminea

10. Johannes auctus
in cuncta.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. A. — Miss. ms. Parisiense? saec. 13. Cod. Pariens. 833. Mit Mel. B. — 2b, 1 et fehlt B. — 2b, 2 solvit B. — Str. 3a u. b fehlen A. — 4a, 1 Quem mundum B. — 4b, 1 sq. Et Christum in aula materna praesenserat B. — 5b, 1 atque plus A. — 9a, 2 e dominica A.

243. In Nativitate s. Johannis B.

1. Exsulta coelum
et laetare terra
Christique turma

2a. Praecursoris alma
solemnizans haec festa,

2b. Voce Christi sancta
est qui mundi lucerna.

3a. Cujus nativitas
est orta praecipua
die ista,

3b. Ampla mundi regna
luce magna radians
universa.

4a. Harmonica
melodia
concrepa,
palinodiam canta
voce laetabunda

4b. Et jubila
clarisona
proclama,
qualiter in hac die
sit natus baptista.

5a. Adstans ab alta
angelus aula
ait: ne pertimescas,
Zacharia.

5b. Anima sacra
placens in aethra,
est proles ob hoc data
tibi grata.

6a. Per quam maxima
tibi gaudia
venient summa
et tripudia
atque multa
gaudebit jucunda
populi turma
Christiana.

6b. Hunc gratuita
Dei gratia
Johannem plenum
certe nomina,
suum quia
auctorem materna
sentiet intra
clausus antra.

7a. Zacharia
ad haec nuntia
gestante
pectora incredula,

7b. Fiunt muta
statim labia,
organa
clauduntur loquacia.

8a. Sed hac sancta
splendente ἡμέρᾳ
coelo magna
et dante lumina,

8b. Mater alma
per angeli verba
adest laeta,
fecunda, florida.

9a. O mira, magna
gratiosa
Dei munera.

9b. Quae lingua tanta
explicare
valet gaudia?

10a. Mater infecunda
jam fecunda
gerit viscera,

10b. Patris ante muta
nunc aperta
pandunt labia

11a. Johannis natalitia.
Adest ergo magna
illa mundi lampas
splendida

* * * * * * * * *

11b. Quae est ante saecla
Christo praeparata
consona
Davidica melodia.

12a. Familia
unde maxima
sumit ac jungit gaudiis
gaudia.

12b. Propterea,
o ecclesia,
in toto orbe terrarum
posita,

13a. Offer praeconia
Christo et munera

13b. Dicens: o Johannes,
praemissa lucerna,

14. Intercessor
pro nobis omnibus
sis in saecula.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. A. — Grad. ms. Gemeticense saec. 14. Cod. Rotomagens. 250. B. — Miss. ms. Gemeticense anni 1495. Cod. Rotomagens. 301 C. — Miss. ms. Gemeticense anni 1492. Cod. Rotomagens. 302 D. — 1, 2 et fehlt BCD. — 3a, 2 perspicua BCD. — 4b, 4 hac in die BCD. — 6a, 3 sq. summo cum tripudio BCD. — 6b, 7 sentiit B. — 8b, 2 angelica verba BCD. — 9b, 2 sq. valet explicare BCD. — 11a, 1 natalia B. — 12a, 2 inde BCD. — Mel.: Alle coeleste nec non et perenne luja.

244. In Nativitate s. Johannis B.

1. Adest dies recolenda,
Dulci melo prosequenda,
Dulci digna carmine;

2a. Lux est ista, quam baptista
Ornat natus, immo datus
Novo patris ordine.

2b. Ante sanctus, quam nascatur,
Quis Johannes habeatur
Suo signans nomine.

3a. Nam lux luce de paterna
Praedicatur ac lucerna
Subsequente gratia.

3b. Zacharias rogat attentius,
Cum fidelis revelat nuntius,
Divina mysteria

4a. Orat vates et moratur,
Moram vatis admiratur
Foris adstans populus;

4b. Vatis inquam dubii,
Qui de tanti filii
Ortu fit incredulus.

5a. Stupor transit in immensum,
Dum sacerdos post incensum
Vocis carens modulo

5b. Ab altari mutus redit
Et pro voce signum dedit
Exspectanti populo.

6a. Sed electus et dilectus
Puer iste tua, Christe,
Declarat magnalia,

6b. Relaxatur ut loquatur
Lingua patris atque matris
Delentur opprobria.

7a. Iste puer Zachariae
Juxta carmen Isaiae
Vox clamantis dicitur,

7b. Ut paretur via recta,
Quam sectetur plebs perfecta,
Ante verbum mittitur.

8a. Antra petit vir beatus,
Cibi fuit apparatus
Sub aetate tenera

8b. Mel locustis sociatum,
Aqua siti munus gratum,
Vestis quidem aspera.

9a. Nullus major hoc Johanne
Magnus hic qui et in amne
Tinxit coeli Dominum;

9b. De quo scimus manifeste,
Quod praecellit Deo teste
Natos inter hominum.

10a. Hic Messias vel Elias
Ne credatur, se testatur
Messiam praecedere;

10b. Concurrentes ad se gentes
Illi parat, quem declarat
Se minuto crescere.

11a. Iste martyr et athleta,
Plus exsistens quam propheta,
Protestatur adimpleta
Prophetarum famina;

11b. Quod velabant res promissae,
Totum monstrat patuisse
Sed et regnum advenisse
Ad tollendum crimina.

12a. Per praeconem novi regis
Terminatur jugum legis
Et ad votum novi gregis
Nova patet gratia.

12b. Ergo puer nati Dei,
Fac ut gentes et Judaei
Unum fiant atque rei
Subleventur venia.

13a. Tuam laudem prosequentes
Et in ea permanentes
Fac erutos vetustate
Nova frui libertate
Et privari macula.

13b. Quos in mundo scis gravari
Fac mundana non sectari,
Ut in luce singulari
Tecum possint gratulari
Per aeterna saecula.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. 854. A. — Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. 9445. B. — Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 156. C. — Mel. natürlich: Laudes crucis. — 3a, 1 Jam lux A. — 3b, 2 revelat fehlt A. — 5a, 2 in incensum AB. — 9a, 2 qui fehlt AB. — 11a, 4 familia AB. — 11b, 1 valebant A. — 12b, 4 Sublevantur A.

245. In Decollatione s. Johannis B.

1a. Salvatori jubiletur
In laude sui praevii,

1b. Cujus meta non habetur
Sed nec caput imperii.

2a. Quam occulta judicia,
Quam operta consilia
Dei, nulli patentia,

2b. Qui carnis post exitia
Digna rependit praemia
Sola vocatis gratia.

3a. Herodes, dira bestia,
Johannem, vitae speculum,
Herrendo clausit carcere,

3b. Sed et voce nefaria
Post dierum curriculum
Miro damnavit scelere.

4a. Via vitae, schola morum,
Dum causatur impudici
Herodis adulterium,

4b. Medicina peccatorum
Reprobandae meretrici
Deportatur in praemium.

5a. Nimirum silent organa,
Obmutescunt et tympana,
Dum spiculator mittitur;

5b. Mensa migrat in caveam,
Dum ad vocem femineam
Caput justi producitur.

6a. Sanctus ergo decollatur
Et ipsius caput datur
Saltatrici.

6b. Res in luctum commutatur,
Dum praeceptum consummatur
Impudici.

7a. Luctu finitur gaudium
Et regale convivium
Cedit in homicidium;

7b. Sola gaudet adultera,
Dum tristatur plebs cetera
Propter oblata munera.

8a. Regem ergo detestemur
Et praeconem veneremur
Veritatis,

8b. Ut quos moles mundi urget,
Votis levet et expurget,
A peccatis.

Miss. ms. Lucense saec. 15. Cod. bibl. publ. Olomucens. II I 1. A. — Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Cotěschaviense saec. 14. Cod. Pragens. XIV C 3. C. — Sequent. ms. Pragense VI C 15. saec. 15. D. — Grad. ms. Schäftlariense saec. 15. Clm. Monacens. 23 026. E. — Grad. ms. Strahoviense anni 1611. F. — 1a, 1 jubilemus C. — 2a, 2 optata B. — 5b, 2 Cum ad vocem F. — 6b, 2 Cum praeceptum F.

246. De s. Johanne Eleemosynario.

1a. Fervore devotionis
Celebremus eleimonis
Johannis praeconia,

1b. Vita cujus est insignis,
Qui refulget miris signis
Nunc in Alexandria.

2a. Puer clara stirpe natus
Et prae cunctis adamatus
Mittitur ad studia,

2b. Litterarum Christo duce
In aetatis prima luce
Didicit primordia.

3a. Licet aevo juvenili,
Sensu tamen jam virili,
Coepit enitescere

3b. Cultor summae probitatis,
Amor hinc virginitatis
In vita florescere.

4a. Cui virtute sic pollenti
In vestitu praefulgenti
Per somnum apparuit

4b. Virgo mater salvatoris,
Ut se amet omnibus in horis,
Puerum ordinavit.

5a. Visione animatur,
Sertum ejus contemplatur
·Consertum ex olea,

5b. Coepit inde pietatis
Et internae puritatis
Se vestire trabea.

6a. Dum in virum evasisset,
In Aegypto claruisset
Ejus fama populo,

6b. Patriarcha designatur,
Alexandriam vocatur,
Praesit justo titulo.

7a. Cleri decus et corona
Largiendo cuncta bona
Piis in operibus,

7b. Ecclesiae de thesauro
Nec aeri parcit nec auro
Donando pauperibus.

8a. Distributor liberalis
Sensit nunquam pater talis
Defectum pecuniae,

8b. Sed quo magis erogabat,
Auro magis abundabat
Dono Dei gratiae.

9a. Patrem pium objurgavit,
Aurum ejus confiscavit
Niceta patricius,

9b. Pietate deterretur,
Patri scelus confitetur,
Reddit aes celerius.

10a. Multa fecit facta mira,
Quem nec unquam lingua dira
Conturbavit ulla ira
Aut impatientia,

10b. Offensorem in petendo
Prior reconciliando,
Fuit pater in amando
Et misericordia.

11a. Salve, pater orphanorum,
Consolator egenorum,
Audi vota privatorum
Humano praesidio;

11b. Mundo toto veneratus,
Nostros absolve reatus,
Coetus noster sit tutatus
Ex tuo suffragio.

12a. Bone pastor, hostes tere,
Tuae plebi miserere,
Quos vis premit gentis ferae,
Bona pacis fac videre
In praesenti saeculo;

12b. Tibi pia vota damus,
Nunc assiste, te rogamus,
Nos tuendo, ne perdamus
Vitae bona, quae optamus
Advenire sedulo.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 6. saec. 15. add. saec. $^{15}/_{16}$. — Mel. jedenfalls: Lauda Sion. — 3b, 1 Cultor factus summae Hs. — 3b, 2 Et amor hinc Hs. — 4b, 1 mater nostri salvatoris Hs. — 7b, 2 aeri pepercit Hs. — 9b, 3 Reddit eis celerius Hs.

247. De s. Johanne Evangelista.

1a. Virgo mater ecclesia
Decantet in laetitia
Sempiternum Alleluja,

1b. Quae virtutum plantaria
Mittit colente gratia
Ad coelorum palatia.

2a. Et redolet mirifica
Regis sui praesentia
Sicut cella vinaria.

2b. Est et domus eburnea,
In qua delectant varia
Myrra, gutta et casia.

3a. O quam beata patria,
In qua vera justitia
Justa partitur praemia,

3b. Et ne fiat invidia,
Pro quavis indigentia
Omnibus donat omnia.

4a. Felix sponsa, felices nuptiae,
Quibus nullae desunt deliciae,
Quibus Deus est copia.

4b. Ibi nihil adest tristitiae,
Ibi nihil abest laetitiae,
Ibi nulla inopia.

5a. Hic qui possit reprobari
Nullus potest epulari,
Nam hos admittit gratia,

5b. Qui et veste nuptiali
Et amore filiali
Ornant sua cubilia.

6a. Non est opus hic speculo
Nec lippiente oculo,
Rachel regnat, cedit Lia;

6b. Non est locus hic profanis,
Transvadatus est Jordanis,
Ecce promissa patria.

7a. Hic incircumscriptum lumen,
Hic est aquae vivae flumen,
Hic est agnus pro lucerna;

7b. Hic est panis angelorum,
Hic affectus beatorum
Et haec cuncta sunt aeterna.

8a. Hic est, fili Zebedaei,
Quod quaerebas, regnum Dei,
Hic est majestas regia;

8b. Ibi sedens nos exaudi
Assistentes tuae laudi
Et propulsato vitia.

9. Fac, patrone, quod precamur,
Ut cantare mereamur
In aeterna laetitia.

Cod. Admontens. 739. saec. 12. add. saec. 13. — Mit Mel. in Neumen.

248. De s. Johanne Evangelista.

1a. Dies ista, quae sacrata
producit solemnia,

1b. Dat mirari, dat laetari
De Johannis gloria.

2a. Hic electus et dilectus
Dei secretarius

2b. Est probatus et vocatus
Tonitrui filius.

3a. Amor prolis, tutor matris,
Coeli praepes aquila,
Nube verbi tonat orbi
Scripturarum flumina.

3b. Hic magistri sui Christi
Aemulans vestigia
Se devovit et removit
A dote uxoria.

4a. Illibatus incorruptus
A pudoris macula,

4b. Penetravit et profudit
Divina oracula.

5a. Supra pectus reclinatus
Deitatis conscium,
Epotavit, eructavit
Omne, quod est mysticum.

5b. Matri Jesu ejus jussu
Subrogatus assecla
Mente prona illi cura
Successit vicaria.

6a. Vidit Roma, quod sub multa
Senatus frequentia
Virginali cessit carni
Flamma oleagina,
Relegato et damnato
Non est exsul gratia.

6b. Patent astra et operta
Visuntur mysteria,
Pace data plaudit tota
Redeunti Asia,
Rediviva spirant vita
Ephebus et vidua.

7a. Virus haustum et signatum
Nihil turbat viscera,

8a. Frondes fulvo ludunt auro
Flavescit et glarea,
Rident saxa investita
Claritate gemmica.

9a. Midilecte, tempus ecce,
Veni ad convivia,

10a. Ille libens, ille vivens
Se locat in fovea,
Et non mora, ipsa hora
Carnem exit anima.

7b. Quo exstincti surgunt bini
Medicante tunica.

8b. Mox confectum sacrum corpus
Aetate decrepita,
Videt Christum suspiratum
Vocantem ad gaudia:

9b. Epulare, o mi care,
In coelesti curia.

10b. O symmista, o conviva
Viventis in saecula,
Pro devotis ora servis,
Ut donetur venia.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17317. A. — Miss. ms. Jacobi de Vindocino saec. 16. in. Cod. Parisiens. 906. B. — 2b, 1 Est vocatus et prolatus B. — 5b, 1 Matris Jesu A.

249. De s. Johanne Evangelista.

1. O rex summe,

2a. A quo bonitas,
lux et felicitas
et bona manant omnia,

3a. Adsis precibus,
quas tibi sonat
plebs tua
exsultans in te, sancta
Dei caritas,
et per te
tibi jubilans placita.

4a. Qui te in excelsis
habitantem contemplans
et ut aquila soli defigens
lumina,

5a. Mortalibus effuderat.
Hinc ergo tuam,
aeterne Deus,
misericordiam
Precamur, ut hanc
quam ille
Viam nobis ostenderat,

2b. A quo tempora
et cuncta saecula
certa capiunt spatia.

3b. Unde merito
petimus, nobis
adfore
virginalem ac almum
evangelistam
Johannem
hac solemnitate clara.

4b. Et sic inaudita
saeculo praeconia
tua salutari debriatus
gratia

5b. Et mente pura
et fide pia
sequamur ac tibi
beneplacita;
ut ejus
precibus cernere tuam
Jam mereamur patriam.

6. Ibi semper laus,
honor et claritas,
pax et omnis gloria.

Grad. ms. Fossatense saec. 13. Cod. Parisiens. 13254. A. — Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. B. — 3b, 4 sqq. virginalis ac almi evangelistae Johannis B. — 4a, 3 aquilae soli designans A. — 4b, 2 saeculi A. — 5a, 2 Sic ergo A. — 6, 1 Ubi semper B.

250. De s. Johanne Evangelista.

1a. Psallat chorus voce clara
Sed nec laudis vox sit rara,

1b. Plebs, quae cantus est ignara,
Sit in prece non avara.

2a. Chorda cordis sit intensa,
Ad amorem mens accensa,

2b. Tanti festi laus immensa
Omni major est impensa.

3a. Rerum bina bis natura
Sua servat in se jura,

3b. Consors tamen ex junctura
Sua plaudat in mensura.

4a. Montes, campi, silvae, rura
Et aquarum fons clausura,

4b. Quaeque vivunt in his, pura
Laudet Deum creatura.

5a. Jucundemur ergo, quia
Dies digna melodia,

5b. Digna dies harmonia
Sit haec dies laudis scia.

6a. Nunquam dies sit obscura
Neque praesens nec futura,

6b. Qua coluntur sancti festa,
Per quem lux est manifesta.

7a. O vox dulcis et sincera,
Erat verbum et lux vera,

7b. Iste novus cithrarista
Non discordat a psalmista.

8a. Hic Johannes scribens ista
Non est idem qui baptista;

8b. Ille quasi minus certa,
Iste promit plus aperta.

9a. Ille fuit vitae via,
Iste verbi symphonia;

9b. Ille magis quam propheta,
Coeli vidit hic secreta.

10a. Hic de fontis vitae vena
Debriatus est in coena,

10b. Huic in cruce pendens vita
Dum adstaret inquit ita:

11a. Frater, ecce mater tua,
Tunc accepit hanc in sua;

11b. Casto castae datur cura
Castitatis pro censura.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 1. saec. 15. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 3. saec. 15. B.; letzteres mit Mel.

251. De s. Johanne Evangelista.

1a. Scriba doctus verbi Dei,
Anni praeco jubilaei
Dignus est tripudio,

1b. Summae civis civitatis,
Indagator trinitatis
Tonat in principio.

2a. Hic a Christo praedilectus,
Cujus cubans supra pectus
Convivat feliciter,

2b. Nectar haurit salutare,
De quo possit propinare
Mundo multipliciter.

3a. Litans se pro nobis patri,
Hunc commendat Jesus matri
Et matrem discipulo,

3b. Vincit virus et liquoris
Aestum fert expers doloris
Exit de periculo.

4a. Loco saxi gemma viget
Et virgultum auro riget
Johannis imperio,

4b. Rimatur secreta caeli,
Succedit Ezechieli
Concors contemplatio.

5a. Ad confratres invitaris,
Cum quibus nunc epularis
In Christi convivio,

5b. O Johannes, Christi care,
Fac nos illuc transmigrare
Tuo patrocinio.

Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 14 in. — Mel.. Hodiernae lux diei.

252. De s. Johanne Evangelista.

1a. Exortum lux
lumen in tenebris
Luxit, fluxit
de coeli latebris
Johannis praeconio
Rectos replens radio.

1b. Radiante
sole justitiae
Solis dolis
semotis veniae
Vena cunctis oritur,
Verbum vitae panditur.

2a. Contemplator
hoc videns coelicus
Inspiratur,
datur exstaticus
Visus, nisus
et evangelicus
Fax amoris.

2b. Signa libri
signati reperit,
Victor mortis
fortis huic aperit,
Plaudit genti
flenti, quod suggerit
Rex honoris.

3a. Judicantis
tremendam faciem,
Senum vultus,
ultus maneriem,
Signatorum
sanctorum aciem
Perlustravit.

3b. Occulatum
sedis circuitum,
Animatum
cantum et aditum,
Quod vincentem
mentem absconditum
Manna pavit.

4a. Avis alta
volatu nesciens,
Metam fetam
praedam recipiens,
Aptam raptam
divisit nutriens
Christo gratos.

4b. Grandis alis
perlustrat Asiam,
Quaerit, serit
pacem et gratiam.
Tegit, regit
pennis ecclesiam
Et renatos.

5a. Flagellatur
corpus virgineum,
Cruce duce
fert fervens oleum,
Inquinatum
latum veneneum
Potum vicit.

5b. Praeservatum
culpae contagio
Sic mansurum
purum dat ratio,
Fratrum amans
famans testatio
Hoc praedicit.

6a. Qui coelorum
thronis conjungeris,
Agni bysso
stolatus uteris,
Coenam agni
confer, qua frueris,
Praegustatam.

6b. Ergo visa
secreta resera,
Ad cubile
cum sponsa propera,
Sponsam sponso
traduc, confoedera
Copulatam.

Grad. ms. Dusseldorpinum D. 11. saec. 15. — Mel.: Conceptio Mariae virginis.

253. De s. Johanne Evangelista.

1. Gaude, pater patriae,

2a. Aemulator latriae,
Speculator gloriae,
Johannes.

2b. Gaude, quia regio
Fulges privilegio,
Johannes.

3a. Gaude, quem in pectore
Divo Christus nectare
Potu soporavit,
Johannes.

3b. Gaude, cui Dominus,
Cruce pendens cominus,
Matrem commendavit,
Johannes.

4a. Gaude, quem oraculo
Christus vocat patulo,
Johannes.

4b. Gaude coeli solio
Fruens Dei filio
Johannes.

5a. Audi clerum
Te sincerum
Flagitantem cantico,
O Johannes.

5b. Ut nos mundans
Et fecundans
Suo jungat gaudio,
O Johannes.

Clm. Monacens. (ol. Tegurinus) 20 015. anni 1504. — „Sequentia de B. Johanne Evangelista". — Mel. vielleicht: Gaude pater optime (Wenzel); dann fehlt eine Zeile; 1 gehört zu 2a ohne Gegenzeile in 2b.

254. De s. Johanne Evangelista.

1a. Illustrata luce prima,
Lux illustrans orbis ima,
Johannes, fax luminis,

1b. Lux illustra nos opima,
Carus dele vetus zima,
Zelus summi numinis.

2a. Supra pectus Jesu Christi
Praedilectus quievisti,
Sacrum evangelium

2b. Praedilectus tu suxisti,
Mundum rectus refecisti,
Virginale lilium.

3a. Tu Drusianam mortuam,
Dilectricem perspicuam,
Ad vitam revocasti

3b. Bibens potum letiferum
Non passus es periculum,
Defunctos suscitasti.

4a. Silvestres virgas frondium
Et lapides in pretium
Auri prece mutasti,

4b. Dura saxa littorea,
In frusta gemmas aurea
In formam renovasti.

5a. Miro modo te zelavit,
Cui matrem commendavit
Christus cruce positus,

5b. Diens: Ecce mater tua,
Cruentata carne sua
Saevae morti traditus.

6a. Te Johannem visitat
Et te Christus convocat
Bravium sumpturum,

6b. Tu speluncam praeparas,
In qua nudum te locas
Coelo regnaturum.

7a. Per hunc, Jesu, nos corona,
Dulcis, mitis, nobis dona
Paradisi gaudium;

7b. Et tu, virgo, mater bona,
Lux coelorum et matrona,
Placa tuum filium.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14 343. anni 1351. — Als „Sequenz" bezeichnet.

255. De s. Johanne Evangelista.

1. Splendet lux clara
polorum et lampas
ardentissima,

2a. Johannes almus
evangelista,

2b. Apostolus
plenus gratia.

3a. Virgo electus
a Domino
omnia ante saecula,

3b. Supra recumbens
pectus Domini
dulcia potens mellea,

4a. Aquilae more volans
supra agmina
coelo digna

4b. Depromsit vivificum
illud propalans
voce mira:

5a. In principio
est principium
Deus-verbum,

5b. Per quod omnia
sunt salvifica
coelo, terra.

6a. De cujus tu sacrario,
sancte Johannes,
jam superna

6b. Exposce jam nobis dona
electorumque
contubernia.

7a. Cum quibus tecum
cantemus nova cantica

7b. Et perfruamur
trinitate paradoxa,

8. In qua Deus est
omnibus omnia.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisiens. 9449. — Titel der Sequenz „Tremula". — Eine Silbe Überschufs 2a, 1; 3b, 2 und 6b, 3.

256. In s. Johannis ante portam.

1. Vitis verae palmes verus,
O Johannes, et procerus
Summi verbi nuntius,

2a. Fluctuantes in peccatis
Tuae mirae sanctitatis
Interventum quaerimus,

2b. A reatu, quo tenemur,
Tua prece ut mundemur,
Et devote petimus.

3a. Praeelectus
Supra pectus
Qui recumbens Domini,

3b. Meruisti
Jesu Christi
Documentis imbui.

4a. Unde jubar solis veri
Tibi datur intueri
Penetratis nubibus,

4b. Cujus namque coelibatus
Ultra coelos est levatus
Pennatis virtutibus.

5a. Hinc figuram aquilae
Gerens admirabile
Et inenarrabile

5b. Verbum patris reperis,
Dilectus prae ceteris
Illico apostolis.

6a. Inauditum
ergo illud saeculis

6b. Signis multis
et doctrinis adstruis.

7a. Veneni poculum
Hauris innocuum
Divino munere,

7b. Missum in dolium
Te fervens oleum
Veretur laedere.

8a. De te Christus illud vere
Dixit: volo sic manere
Eum, donec veniam;

8b. Volens ibi mitigare
Poenam tantum, non vitare
Mortem cunctis debitam.

9a. Longum tandem post exsilium
Invitaris ad convivium
Supernorum civium.

9b. Inde nobis Dei filium
Placa tuum per eximium,
Precamur, suffragium.

10. Ut in fine hujus vitae
Sentiamus tuum mite
Et pium adjuvamen.
Omnes dicant: fiat, Amen.

Miss. ms. Benedictoburanum saec. 15. Cod. Monacens. 4548.

257. De sancto Josepho.

1a. Sanctum Christi nutritorem
Veneremur ob honorem
Talis ministerii,

1b. Huic Maria desponsatur,
Ne diabolo prodatur
Ratio mysterii.

2a. Sponsa Gabrielis ore
Salutata novo more
Verbum verbo concipit,

2b. Vir sacratus intellectam
Rem non habet hanc suspectam
Nec furore desipit.

3a. Puritatem sed Mariae
Nec oblitus prophetiae
Dictis facta comparat;

3b. Isaias concepturam
Filiumque parituram
Virginem praedixerat.

4a. Joseph ergo, Deo plenus,
Tempus, locum, vitam, genus
Suae pensat virginis;

4b. Scit arcanum esse signum
Nec ministrum putat dignum
Se divini germinis.

5a. Ob hoc secum meditatur,
Ut clam sponsa dimittatur,
Virgo rea ne tradatur;
Sed nocte per angelum

5b. Imperatur conjux duci,
Ut vir dux sit Christo duci
Et lucernae novae luci,
Regem regat parvulum.

6a. Circumcisi vulgat nomen,
Annae Simeonis omen
Audit, parvo praebet fomen,
Herodi tendens exsulat.

6b. Ex Aegypto postquam redit,
Nazareth alumnum credit,
Dum rex impius decedit,
Innoxios qui jugulat.

7a. Templo quaerit iterum
Cum Maria tenerum
Duodennem puerum.

7b. Domum Jesus ducitur,
Pater ejus dicitur
Faber, cui subditur.

8a. Non est igitur delirum,
Non est cassum, non est mirum,
Si per omnem mundi gyrum
Virginem Mariae virum
Laus attollat populi.

8b. Sed tu, regis nostri rector,
Pastor pius et refector,
Noster dux sis et protector
Ex Aegypto saeculi.

9a. Sanctum, Christe, per papatem
Nostram rege pravitatem,
Mentis aufer caecitatem,
Cordis confer puritatem
Carnis sanctimoniam.

9b. Nobis post sacramentalem
Pastum, pastor, aeternalem
Da, pro quibus temporalem
Per alumnum virginalem
Capis alimoniam.

Miss. ms. Ebersperge nse saec. 15. Cod. Monacens. 5875. A. — Miss. ms. Monacense 23276. saec. 15. B. — 1a, 1 Christi jam victorem A. — 2b, 1 Vir sanctus A. — 3a, 1 A veritatem B; Sammariae A. — 3a, 3 dictis fehlt B. — 4b, 2 Nec mysterium A. — 5b, 3 lucis A. — 6a, 3 fehlt B. — 7b, 3 Fabri B. — 8a, 2 cassum fehlt B. — 8b, 1 nostri regis B. — 9a, 1 per papam A. — 9b, 4 Pacis alimonia A.

258. De sancto Joseph.

1a. Jucundare plebs fidelis,
Cujus pater est in caelis,
Joseph voce Gabrielis
Allocutus saepius.

1b. Ortus stirpe prophetali,
Dignus fuit laude tali,
Junctus matri virginali
Verus David filius.

2a. Sanctus est sanctificatus,
Dum Mariae sociatus
Pro virtute coelibatus
Deum prolem habuit;

2b. Evangelio testante
Justus actu fuit ante,
Qui Maria jam praegnante
Ab hac ire voluit.

3a. Pater Jesu nominandus,
A quo puer bajulandus,
Angelo certificandus,
Dignus constat omnibus.

3b. Nolens sponsam accusare
Cogitansque occultare,
Monebatur acceptare
Eam dignam moribus.

4a. Virginem hanc permansisse,
Sicut virginem duxisse,
Virginemque concepisse
Foetam sancto spiritu.

4b. Tunc accipiens Mariam
Duxit pius pie piam,
Parituram juxta viam
Bethlehem in exitu.

5a. Rege coeli ibi nato,
Diversorio locato,
In praesepi reclinato
Joseph semper adfuit;

5b. Jesu nomen imponebat,
Forsan et circumcidebat,
Sponsus sanguinumque flebat,
Quantum Adam meruit.

6a. Cumque magi advenissent
Muneraque detulissent
Et admoniti abissent,
Dedit haec pauperibus.

6b. In purificatione
Prophetante Simeone
Humili cum oblatione
Venit cum turturibus.

7a. Ut lateret cum parente
Jesus rege saeviente,
Joseph angelo monente
In Aegyptum abiit.

7b. Septem tempora mutantur,
Dum ibidem conversantur
Tres, qui unum computantur,
Hincque quivis rediit.

8a. Joseph gentis firmamentum,
Populi stabilimentum,
Lustrat vetus testamentum
Ut lucerna splendida;

8b. Erat sumens coeli gustus,
Morans cum Maria justus,
Quae est rubus incombustus
Castitate florida.

9a. Scandens Jesus cum parente
Die festo imminente,
Est inventus a dolente
Disputans post triduum;

9b. Virum istum deposcamus,
Ut cum hoc inveniamus,
Quem offensum formidamus,
Dominum mellifluum.

Orat. ms. saec. 15. Hs. 7955. der k. u. k. Familien-Fidei-Kommifs-Bibliothek. — Mel. jedenfalls der Sequenz gleichen Anfangs des Adam von S. Victor entlehnt.

259. De sancto Joseph.

1a. Ad Joseph mittitur
In somno nuntius,
Justum alloquitur
Spirans interius
Assensum numini.

1b. Noli metuere,
Proles Davidica,
Sponsam accipere,
Jussa te coelica
Nubunt huic virgini.

2a. Tibi rex gloriae
Mariam copulat,
Mira vis gratiae
Pudicum postulat
Hoc matrimonium.

2b. Crede magnanimis,
Audi, nil haesites,
Haec sunt magna nimis,
Cur novum cantites
Epithalamium.

3a. Sis licet conscius
Quod habet filium,
Eac jussa citius,
Dum scis mysterium,
Noli hoc prodere.

3b. Exsurge, nuntia,
Dic sponsae protinus:
Tibi me, Maria,
Nam hoc vult Dominus,
Virum do propere.

4a. Virgo suscipias
Dei depositum,
In quo perficias
Voti propositum
Cum prolis gratia.

4b. Volo, quod nuntias,
Refert humiliter
Virgo dans gratias;
Ergo solemniter
Jungunt connubia.

5a. Nubunt angelicis
Choris canentibus,
Plaudunt sanctificis
Parentes lusibus,
Caste tripudiant.

5b. Dulce canentium
Hymen inseritur
Vehens ad gaudium,
Quod coelo geritur,
Et illis inhiant.

6a. Cognatam visita
Virgo celeriter.
Vis me, Joseph, ita?
Vult et dat pariter
Fideles comites.

6b. Clamat Elisabeth:
Plausum infans edit,
Prophetat quaelibet,
Virgo tandem redit,
Parit, neu dubites.

7a. En, Joseph, parvulum,
Decorum adspice,
Da, Joseph, osculum,
Fer, fove, refice,
Qualis o gloria!

7b. En tibi subditur,
Qui coelis imperat,
Servit, obsequitur,
Qui mundum temperat,
O mirabilia!

8a. Tuum dic filium,
Jam juris corpore
Vis habes proprium
Consensus robore
Dati conjugio.

8b. Sanctus se spiritus
Dedit vicarium
Fecundans coelitus
Uxoris gremium
Te voluntario.

9a. Virgo verbigena,
Virgo fons gratiae,
Nos, nos gens advena,
Pleni miseriae
Plenique vitio,

9b. Te, virgo, petimus,
Te, Joseph, inclite,
Vester, quem colimus,
Jesus nos placide
Locet in gaudio.

Miss. ms. Capit. Olomucensis 355. saec. 15. A. — Miss. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 200 B. — Johannis Gersonii doctoris et cancellarii Parisiensis tertia pars operum. Parisiis. 1606. p. 127. C.

In A sind die Zeilen der Strophen merkwürdig verstellt, so dafs immer die sämtlichen geraden und die sämtlichen ungeraden Zeilen einer ganzen Strophe (a+b) je eine Halbstrophe bilden, wodurch natürlich jeder Sinn verloren geht. Also z. B.:

1a. Ad Joseph mittitur
Justum alloquitur
Asserens numini
Proles Davidica
Jussa te coelica.

1a, 2 somnis C. — 2b, 4 cantices C. — 4a, 2 dispositum BC. — 6b, 1 Clam et Elisabeth C. — 6b, 5 Paret A. — 7a, 3 Dat Joseph osculum C. — 9b, 4 placite A. — Mel. jedenfalls: Mittit ad virginem. Zur Sequenz fügt A die Rubrik: Si est extra Septuagesimam vel Quadragesimam.

260. De sancta Katharina.

1a. Nato patris sine matre.
Nato matris sine patre
Detur laus et gloria,

1b. Qui victricem te felicem
Ut reginam Katharinam
Coronavit gloria.

2a. Gaudet chorus coelestium
Suo regi psallentium
De tua victoria;

2b. Ergo gaude, Deo digna,
Et nos tecum, o benigna,
In tui memoria.

3a. Virgo pia, gloriosa,
Per spiritum Christi sponsa
Et ipsīus filia,

3b. Sed secundum carnem florens,
Stirpe recens, carne decens,
Costi regis filia.

4a. Tu unica parēntibus
Disciplinis scholaribus
Imbuta divinitus,

4b. Praecipuis exterius
Doctoribus, interius
Dono sancti spiritus.

5a. Hujus dulcis te perfudit
Et suavis te docuit
In omnibus unctio,

5b. Nam difusa in labiis
Larga supervenit tuis
Ejus benedictio.

6a. Ad certamen animata,
Signo crucis roborata.
Regis fers insignia;

6b. Oratores superasti,
Christi testes per te facti
Possident coelestia.

7a. Candidata, purpurata
Stola legislator regis
Induit te filius.

7b. Speciosa, generosa
Haec regina, haec benigna,
Cujus hic est filius.

8a. Sponsi tui prece pia
In praesentis vitae via
Fruantur amplexibus;

8b. Festum tuum celebrantes,
Memoriam venerantes,
Floreant virtutibus.

9a. Ergo confer pietatis
Lac et donum caritatis,
Da salutis oleum,

9b. Ut cantemus omnes tecum
Alleluja, carmen laetum,
Angelorum canticum.

Miss. ms. Posoniense? saec. 14. Cod. lat. Musaei Hungarici 94. A. — Miss. ms. Posoniense? saec. 14. Cod. lat. Musaei Hungarici 215. B. — Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14 667. — 4b, 1 sq. exterius doctoribus fehlen A.

261. De sancta Katharina.

1. Katharinae virginis
Vita felix et finis,
Nostra spes et gloria.

2a. Vicit mundi gaudia
Regis et consilia
Cum summa victoria;

2b. Puellaris actio
Dolente Maxentio,
Consolatur omnia.

3a. Deum unum colere,
Deos plures spernere,
Facta est praenuntia.

3b. Regni sceptrum unica
Spernens est ad coelica
Exspectata gaudia.

4a. Sophorum versutiam
Vertit in solertiam,
Horum dum opposita
Prima est intuita.

4b. Reginam in consortium
Trahit et Porphyrium,
Quos ab idolatria
Ejus lavit gratia.

5a. Virgis caesa stat illaesa,
Dum torquetur, confitetur
Jesum super omnia;

5b. Carceratur, confortatur
Cor puellae, tu repelle,
Quod mens timet conscia.

6a. Ruunt rei fracta rota,
Nutu Dei stat immota
Operum per merita;

6b. Specularis post haec cuncta,
Stellae maris es adjuncta
Sed honore subdita.

7a. Pugna, regem qua vicisti,
Lac, in morte quod fudisti,
Beata nobis gaudia
Fuderunt in ecclesia.

7b. Katharina, quod mons Sina
Te per chorum angelorum
Collegit cum gloria,
Mundum replet laetitia.

8a. Ergo pia miserere,
Hac in via nos tuere,
Creatori votum chori
Clementer concilia;

8b. Qui cantamus hic jucunde,
Te rogamus, preces funde
Ut ὁ θεος omnes reos
Mundet data venia.

9. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Sloterdicense anni 1480. Cod. Hafniens. Thott. fol. 148. A. — Miss. ms. S. Pancratii Leydensis saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 160. B. — Mel. jedenfalls: Mane prima sabbati. — 3a, 1 und 3a, 2 umgestellt B. — 6b, 1 Spicularis B. — Str. 9 fehlt A.

262. De sancta Katharina.

1a. Laetabundus
Exultans te laude laudet,
Katharina,

1b. Qui jucundus
Victrici tibi congaudet,
Katharina.

2a. Fidei constantia
Superas Maxentium,
Katharina,

2b. Mira eloquentia
Victrix eloquentium,
Katharina.

3a. Tu mactata verbere,
Taetro clausa carcere,
Katharina.

3b. Coeli luce frueris,
Per columbam pasceris,
Katharina.

4a. Te regina sequitur,
Et morte praegreditur,
Katharina,

4b. Atque cum Porphyrio
Ducentena concio,
Katharina.

5a. Fracta rotae machina
Multa sternit milia,
Nec te laedunt [lamina],
Katharina.

5b. Mox ut caput plecteris,
Longius deveheris
A ministris superis,
Katharina.

6a. Locaris in Sina,
Ex te medicina
Fluit olei,
Katharina.

6b. Quaesumus divina
Ope a ruina
Fac nos devehi,
Katharina.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2. anni 1438. — Mel. natürlich: Laetabundus. — 5a, 3 fehlen 3 Silben.

263. De sancta Katharina.

1a. Laudes Deo debitas
Solvamus alacriter,
Nos praesens solemnitas
Gaudere perenniter
Invitat solemniter.

1b. Dulcis est jucunditas,
Si cum chorda pariter
Cordis plaudat puritas
Concordando leniter,
Psallendo concorditer.

2a. Katharinae passio
Eo nobis gratior,
Quo Dei laudatio
Mundo fit jucundior.

2b. Pulchra foris facie,
Sed mente formosior,
Omni major specie
Decor est interior.

3a. Sponsa regis
et regis filia,
Major Christi,
quam Costi gloria,
Domus sponsi
quam patris regia,
Sponsi nequit
capi prosapia.

3b. Capax sensu,
tenax memoria,
Litterali
pollens industria,
Major tamen
fides facundia,
Superabat
naturam gratia.

4a. Edicta Maxentii
Voce damnat libera,
Foedi sacrificii
Foeda spernit foedera.

4b. Cruoris innoxii
Clamor pulsat sidera,
Incestant flagitii
Solum tanti scelera.

5a. Verba stupet rex profanus
Objurgantis virginis,
Instat vane cultor vanus
Exercendi numinis
Vanis caerimoniis.

5b. Meditatur malesanus
Agones certaminis,
Sed infirma nequit manus
Obviare hominis
Divinis suffragiis.

6a. Sapientes evocati
Summae cedunt veritati,
Non hinc victi sed victores
Et hoc casu clariores.

6b. Quamvis sero sint vocati,
Non sunt sero coronati,
Quos caminus puriores,
Poena fecit potiores.

7a. Mente fremens rex effera
Rotas, ignes et verbera
Profert, offert et munera
Victoriosae virgini.

7b. Blandimenta pestifera
Virgo spernit et tenera
Poenis exponit latera
Inclamans nomen Domini.

8a. Post agonem consummatum
Capitali supplicio
Corpus ejus est translatum
Angelorum obsequio
In montis sinum Sinai.

8b. Hic de membris Katharinae
Jugi manat profluvio
Sacrae nectar medicinae
Regali beneficio
Regis regum Adonai.

9a. Ubi primum lex divina
Lata fuit, Katharina,
Requiescis miro more,
Revirescis novo flore
Meritorum gratia.

9b. Tua virgo, Christe, prece
Nos ereptos carnis faece,
Debriatos vivo fonte
Et receptos summo monte
Summa donet gloria.

Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Pragense 14. C 3. saec. 14. B. — Grad. ms. Strahoviense H I 2. anni 1611. C. — 5a, 5 testimoniis B. — 8a, 5 montis summi A. — 8b, 1 Hinc de B.

264. De sancta Katharina.

1a. Eja nunc Alexandrinam
Toto nisu Katharinam
Collaudemus jugiter,

1b. Haec est illa Costi regis
Nata, gnara divae legis,
Pro qua stat viriliter.

2a. Nam dum judex immolaret
Idolis et sic erraret,
Confunditur a virgine;

2b. Pro quo clausa custoditur,
Verbo pugnans invenitur
Victrix in certamine.

3a. Victi Christum confitentur
Judex, jubet, ut crementur
Nec laeduntur penitus;

3b. Scorpiones adhibentur,
Plagae magnae mox videntur
Sanari divinitus.

4a. O quam felix, quam columba
Pavit et de cujus tumba
Emanavit oleum;

4b. Haec reginam coronavit
Principemque confortavit
Coelum dans aethereum.

5a. Orat, rotae confringuntur
Et per partes occiduntur
Multi tunc increduli;

5b. Decollatur nec desperat,
Quod effluxit, hoc lac erat
In salutem saeculi.

6a. Corpus datur monti Sina,
Sed mens transit ad divina
Intrans laeta patriam;

6b. Ad hanc, virgo, nos invita
Tuam salvans in hac vita
Agentes memoriam.

Miss. ms. Sanblasianum saec. 14. Cod. S. Pauli ad Laventum memb. 42.

265. De sancta Katharina.

1a. Veni, sancte Spiritus,
Katharinae coelitus
Invitatus merito,

1b. Veni, splendor numinis,
Katharinae virginis
Mentem replens subito.

2a. Consolator optime,
Doctor disertissime
Katharinam instruens,

2b. In labore gratiam,
In verbis prudentiam
Katharinae tribuens.

3a. O lux beatissima,
Per quam fit gratissima
Hujus vita virginis,

3b. Pulchra nobilissima
Et magistra maxima
Supra vires hominis.

4a. Lavit viros sordidos
Et rigavit aridos
Aqua sapientiae,

4b. Flecti fecit rigidos
Et reduxit devios
Ad vitam justitiae,

5a. Sapientes Graeciae
Christi subdens gratiae
Artium peritia.

5b. Haec pro nobis hodie
Sit patrona veniae
In coelesti gloria.

Antiph. et Grad. Nivernense saec. 12. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 1235. add. saec. 14. — Die Mel. bezeichnet 1a, 1.

266. De sancta Katharina.

1a. Extollamus in hac die
Extollendas laudes piae
Katharinae virginis,

1b. Commutantis morte brevi
Vitam aeternalis aevi,
Regnum vitae perpetis.

2a. O quam mundi salvatricem,
O quam coeli regnatricem
Decet haec pedissequa,

2b. Quam non vincunt blandimenta,
Non sophorum argumenta
Nec ars syllogistica.

3a. Diris poenis haec addicta
Vincit omnes sed invicta,
Vincit eloquentia,
Fide, patientia.

3b. Morti cujus exquisitae
Rotae, serrae gladiique
Ejus collisa precibus
Quaternis morsu millibus.

4a. Per hanc grex philosophorum,
Imperatrix, plebs multorum
Cum coetu nobilium

4b. Christo credunt et recedunt
Cum tremore ab errore
Et cultura daemonum.

5a. Fiunt isti
Testes Christi,
Reverentur,
Confitentur
Ore, corde Dominum;

5b. Pro quo torti
Non absorpti
Moriuntur
Sed nascuntur
Coelo per martyrium.

6a. Quos praemissos subsecuta
Martyr hodie soluta
Ab aerumnis saeculi

6b. Coelum scandit Katharina,
Cujus corpus monti Sina
Commendarunt angeli.

7a. Hujus signo tumuli
Liquor stillat olei,
Quo sanantur languidi.

7b. Rex regum mirabilis,
Fove nos suffragiis
Hujus mirae virginis

8. Huic supplicantes
Tuis donis mirificis.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign. — Nach 2b, 1 noch Non terrores, non tormenta; entweder ist dies zu viel oder 2a lückenhaft. — 6a, 1 praemissa. — 6b, 2 montis Sina.

267. De sancta Katharina.

1a. Mundum replet gaudio
Triumphalis passio
Katharinae virginis,

1b. Cives Alexandriae
Suae reddant filiae
Laudem pii carminis.

2a. Opus fortitudinis
Tam praeclarae virginis
Admirantur saecula,

2b. Quod vicit diabolum,
Hostem stravit subdolum
Tenera juvencula.

3a. Hanc ab annis teneris
Imbuendam literis
Pater rex tradiderat,

3b. Sic ei scientia
Praecedente gratia
Multiplex accesserat.

4a. Annis crescens et aetate,
Morum simul honestate
Crescebat et gratia;

4b. Christianae fidei
Cultrix cum virginei
Pudoris munditia.

5a. Dum ad cultum idolorum
Turbam cogit populorum
Tyrannus Maxentius,

5b. Haec errorem aspernatur,
Fidem Christi protestatur
Et docet attentius.

6a. Oratores eruditos
Ad certamen accersitos
Ex regis imperio

6b. Sola vicit universos
Et ad Christum mox conversos
Sociat martyrio.

7a. Judex movet blandimentis,
Minis terret et tormentis,
Multis temptat argumentis
Virginem seducere;

7b. Martyr constans et invicta
Multis poenis est afflicta
Et catenis dire stricta
Clauditur in carcere.

8a. Ut a vero defectatur
Aut repente perimatur,
Rota quaedam praeparatur
Et structura lignea.

8b. Sed aptatam pro tormento
Dei virtus in momento
Frangit ictu violento
Flammaque fulminea.

9a. Pro signo miraculi
Fit ad Christum populi
Gentilis conversio;

9b. Uxor regis capite
Truncatur cum milite
Triumphans Porphyrio.

10a. Post de specu carcerali
Praesentata tribunali
Virgo sacra capitali
Damnatur sententia;

10b. Orat Deum, vox respondet,
Servis suis opem spondet,
Quod conservet et fecundet
Eos rerum copia.

11a. Pro vocis solatio
Martyr plena gaudio
Tandem caesa gladio
Fudit lac pro sanguine.

11b. Truncum corpus sublevatum
Ab angelis est translatum
Et in montis collocatum
Sinai cacumine.

12a. Ex ipsius tumulo
Stupendo miraculo
Fluit rivus unguinis,

12b. Quod membris languentium
Datur ad remedium
Et ad laudem virginis;

13. Quae nos suis precibus
Jungat coeli civibus.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 318. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 319. B. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17 321. C. — 5a, 1 Cum ad A. — 5a, 2 Turba B. — 8a, 4 linea B. — 8b, 1 aptata B.

268. De sancta Katharina.

1a. In coeli viridario
Nobilis campi lilio
Sociatur rosula;

1b. Dic Christum sane lilium,
Dic lilium convallium,
Florem sine macula.

2a. Est Katharina rosula,
In arguendo sedula
Vicit magisterium;

2b. Imperatricem docuit,
Martyrizari monuit
Simul et Porphyrium.

3a. O magistra generalis,
O ministra specialis,
Multorum benefica,

3b. Virgo prudens praedicaris,
Costi regis comprobaris
Filia mirifica.

4a. Philosophi convertuntur
Quinquaginta, referuntur
Confessores fidei,

4b. In fornace renovantur
In igneque dealbantur
Facti plus quam nivei.

5a. Imperator contristatur
Maxentius, stomachatur,
Dente fremit impius;

5b. Katharinam sic affatur:
Per te regnum conturbatur,
Cerne quod vis melius.

6a. Katharinae respondenti,
Indignanter proponenti,
Praeparatur rotula,

6b. Sed prius incarceratur,
In carcere visitatur
Felix Christi famula.

7a. Katharina flagellatur,
Sub flagello gloriatur,
Laetatur in verbere;

7b. Virgo gladio feritur,
Pro sanguine lac hauritur
Sacro fusum vulnere.

8a. Ab angelis deportatur
Corpus, in Sina locatur
Olei dans copiam;

8b. Quo liquore qui sanantur
Aegri, ad plenum curantur,
Nesciunt inopiam.

9a. Ad haec virgo Christum orat
Pro devotis et implorat
Grata beneficia,

9b. Ut quos sibi scit devotos
Sanos simul et aegrotos
Suscipiat gloria.

Prosarium Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339. — Mit Mel.

269. De sancta Katharina.

1a. Collaudemus inclita
Katharinae merita,
Costi regis filiae,

1b. Clarens claris artibus.
Orba suis partibus
Praesidet familiae.

2a. Libat diis Maxentius,
Obviat audentius
Regis haec erroribus;

2b. Per hanc victi rhethores
Igne fiunt martyres
Non usti corporibus.

3a. Reginam, Porphyrium
Armat ad martyrium
Et ducentos complices,

3b. Rota ferox struitur,
Fulmine diruitur,
Cadunt et opifices.

4a. Caesa martyr gladio
Migrat ab hoc stadio
Fundens lac pro sanguine;

4b. Coeli cives veniunt.
Hanc Sina sepeliunt,
Tumba fluit unguine.

5a. Per te, virgo regia.
Ducat ad collegia
Nos sanctorum Dominus,

5b. Et te cum victoria
In coelesti gloria
Contemplemur cominus.

Miss. ms. Hospitalense saec. 14. Cod. S. Pauli ad Laventum memb. 49. A. — Miss. ms. Lincense *Γ* p 23. saec. 14. B. — Mel.: Veni sancte spiritus.

270. De sancta Katharina.

1a. Jucundare, plebs fidelis,
Nam praeclara fit in caelis
Hodie solemnitas,

1b. Dum regnanti sine fine
Triumphantis Katharinae
Salva nubit castitas.

2a. Quid hanc Christi sponsam laudem?
Prosequendo talem laudem
Vis humana deficit,

2b. Sed hic opis alienae
Non est opus, quia plene
Ipsa quidem sufficit.

3a. Quae tam claris nitet signis,
Morte vitaque insignis,
Tam gena quam genere,

3b. Satis ex se commendatur,
Suo Christus nec celatur
Artifex in opere.

4a. Ista fidem dum declarat,
Et medelam ferre parat
Errori gentilium,

4b. Regem versum in furorem,
Regem suum, non rectorem
Ostendit Maxentium.

5a. Ille sensu puellari
Suos ritus irritari
Mente ferens anxia,

5b. In puellam mox irritat
Quinquaginta, quos praeditat
Sensus, eloquentia.

6a. Mutos reddit et deliros
Sola plures virgo viros,
Jam maturos tenera,

6b. Mox victores fiunt isti
Subeuntes jugum Christi
Tyrannique vulnera.

7a. Rex puellam melle precum,
In quo jacet, virus caecum,
Emolitur, ferre secum
Mortis in caliginem.

7b. Nec credentem blandimentis
Caedi jubet hic tormentis
Quem plus torquet furor mentis,
Quam tormenta virginem.

8a. O res mira, res divina,
Dum volventi Katharina
Rotae superponitur,

8b. Totum ruit instrumentum,
Haec tormentis fit tormentum,
Ipsa nusquam laeditur.

9a. Post tormenta decollatur,
Decollata decoratur
Insigni miraculo,

9b. Lac effudit non cruorem,
Inattritum carnis florem
Signans hoc signaculo.

10a. O quam digne, quam praeclare,
Pie Deus, tuae carae
Veneraris exitum,

10b. Cujus corpus sepulturae
Dant ministri tuae curae
Monte Sina positum.

11a. Tumba manat liquor pacis,
In quo, Christe, tua facis
Potenter miracula,

11b. Nam et sanis hic unguentum
Fidem servat et languentum
Blande solvit vincula.

12a. Sacra martyr, virgo pia,
Nos in hujus vitae via
Sic impetra vivere,

12b. Ut ad Christum verum montem
Per tuarum precum pontem
Valeamus scandere.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 146. A. — Miss. ms. Trajectense saec. 15. Cod. Mazarin. 433. (224) B. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 279. C. — Miss. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracens. 151. D. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. E. — 1a, 3 Hodie jucunditas B. — 1b, 1 Cum regnanti B. — 1b, 3 nubet A. — 3a, 1 Ortam claris A. — 7a, 2 virum AC. — 8b, 3 plusquam ABC. — Str. 2 und 3 fehlen D.

271. De sancta Katharina.

1a. Laeta festa
Celebret concio nostra
Die ista,

1b. Regis sponsa
Qua scandit poli secreta
Katharina.

2a. Angelum imitata,
Carni nunquam subdita,
Forti ore

2b. Sol illustrans rhethores
Per hanc vicit et fecit
Jam victores.

3a. Sicut quondam perfidos
Prostravit Chaldaicos
Pari forma

3b. Neque igne pueri,
Neque virgo rotali
Axe rupta.

4a. Cedrus haec est Libani,
Nam reginam fidei
Mancipavit;

4b. Verbum hanc visitavit,
Duci a militibus
Detrectavit.

5a. Isaias cecinit,
Haec decantans meminit
Dilecto et vineae
Jubilavit,

5b. Si non suis precibus
Nobis suffragantibus
Atque supplicantibus
Medicavit.

6a. Infelix excussit,
Manans lac eduxit,
Sanctam animam
Lux produxit.

6b. Quam docet litera,
Manu angelica
Ecce locatam
Monte Sina.

Grad. ms. Dominican. saec. 14. Cod. Oenipontanus 710. A. — Grad. Schäftlariense saec. 15. Clm. Monacens. 13 026. B. — Mel.: Laetabundus.

272. De sancta Katharina.

1a. Schola plaudat virginalis,
Quia dies est natalis
Katharinae virginis,

1b. In odore unguentorum
Canat ejus ante thorum
Dulces melos carminis.

2a. Haec repugnans carnis legi
Virgo nupsit summo regi
Desponsata coelitus;

2b. Quam dum Christus subarrhavit,
Hanc in ejus collocavit
Thalamo paraclitus.

3a. It a prima juventute
Non se regens dissolute
In virtutem de virtute
Pedibus justitiae,

3b. Cumque calcat mundi florem
Partem nacta meliorem,
Concupivit rex decorem
Sunanitis filiae.

4a. Mille scutis turrim David
Consignatam rex firmavit,
Quam nec hostis expugnavit,
Nec ventorum turbo stravit
Munitam divinitus.

4b. Katharina mundo stulta,
Veritatis fide fulta,
Oratorum verba multa
Norma veri non exculta
Confutavit penitus.

5a. Tandem ista margarita
Lima mentis expolita
Et fracturis carnis trita
Paradisum adiit.

5b. Quam de fundo raptam maris
Christus, lapis angularis,
In structuram sui laris
Gemmam vivam statuit.

6a. Corpus ejus angeli
Monte locant Sinai
Nobili mausoleo,

6b. Quod ob ejus inclita
Declaranda merita
Jugi rorat oleo.

7a. Virgo, martyr et regina,
Coeli civis Katharina,
Aurem nobis huc inclina
Sponsum placans miseris.

7b. Ut purgatis vasis irae
Regnum donet introire,
Quo non valet quisquam ire
Sorde tabens sceleris.

8. Laudes hujus feminae
Resonemus odis,
Tu autem, Domine,
Miserere nobis.

Miss. ms. Cremifanense 23. A. saec. $^{12}/_{13}$. A. — Miss. ms. Cremifanense 132. saec. 14. in. B. — Cod. Cremifanensis 309. saec. $^{12}/_{13}$. add. fol. 91. b. C. — Sequent. ms. Cremifanense saec. 15. Add. post miss. Roman. imp. Venetiis 1484. D. — Miss. ms. S. Floriani XI 389. saec. 14. F. — Miss. ms. Cremifanense 339. saec. 15. — 1b, 3 Dulces melos haben AC, also die ältesten Hss. — 3a, 3 De virtute in virtutem B. — 3b, 1 Dumque B. — Str. 8 fehlt D.

273. De sancta Katharina.

1. Rosam jucunditatis

2a. Intulit hodie Dominus
in paradisi
palatium,

2b. Dum Katharina martyrio
superat laeta
Maxentium.

3a. Hodie virgo fidelis
victo tyranno
triumphum retulit,

3b. Hodie gaudens in caelis
lampadem sponso
succensam obtulit.

4a. Katharinam, recusantem
immolari dis obscoenis

4b. Capit princeps et affligit,
inauditis mactat poenis.

5a. Nunc insanit, nunc blanditur,
Nec sic fides irretitur
Virginis egregiae

5b. Et virtutem sacrae mentis,
Quam non vincit rex tormentis,
Nec frangit blanditie.

6a. Uritur princeps insanus
Et accendit labor vanus
Magis ejus furias,

6b. Dum scripturis explanatis
Vincit virgo docta satis
Rhethorum versutias.

7a. Error linquitur detectus,
Igni datur grex electus,
Rota virgo tenera
Non terretur aspera

7b. Consummata passione,
Caput caesa pugione
Pro cruoris floribus
Reddit lac vulneribus.

8a. Fusum virginalia
Lac figurat lilia

8b. Mixta cum martyrii
Rosis ictu gladii.

9a. O beata Katharina,
Sponso Christo jam vicina,

9b. Precis nostrae memor esto,
Sacra grege cum honesto

10. Sequens agni vestigia
In coelesti gloria.

Miss. ms. Aquicinctense saec. 12. Cod. Duacens. 90. A. — Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122 add. saec. 14. B. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882. C. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101. D. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. E. — Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124. F. — 2a, 1 Induit C. — 3a, 2 sq. triumphum tyranno C. — 3b, 2 sponso fehlt C. — 4b, 1 capit rex et B. — 5b, 1 Ut virtutum B. — Mel. = Stola jucunditatis (Mone III, 390).

274. De sancto Lamberto.

1a. Christi laudem praedicemus,
Christi quidem qui gaudemus
Insignire nomine;

1b. Felix nomen, felix omen,
Illi cedit, qui se credit
Dignum hoc cognomine.

2a. Hoc Lambertus consecrari
Et se studens decorari
Sub annis infantiae,

2b. Christi jugo se subjecit,
Mundi fastum a se jecit
Donis pollens gratiae.

3a. Signa multis dans profectus
Arbor ista germinat,
Cujus odor longe vectus
Mundo se discriminat.

3b. Hic in sancta sublimatur
Sede Trajectensium
Et optatum plene datur
Populo praesidium.

4a. Hunc a sede cathedrali
Pellit hostis invidus,
Valde fremens, quod a tali
Salvus fiat languidus.

4b. Monachorum subit aedem
Praesul Deo deditus,
Post in primam redit sedem
Suo juri redditus.

5a. Sed confracta dum relocat
Et dispersa dum revocat
Ad ovile Domini,

5b. Scelus ingens et enorme
Vidit adstans Christi normae
Et excelso nomini.

6a. Nam Pipinus, dux Francorum,
Qui legalem fugit thorum,
Fractor legum, spretor morum,
Adhaeret adulterae.

6b. Preces fundit et frequenter
Instat praesul et patenter,
Illum monet et clementer,
Vult eum inducere,

7a. Ut contempto nexu tali
Et amota causa mali
Sub amplexu conjugali
Motus carnis dirigat,

7b. Et perversum mutet morem
Caste vivens et uxorem —
Cedit enim ad honorem —
Non incestam diligat.

8a. Alpaidis his acceptis
Flagrescit medullitus,
Non adspirat suis coeptis
Dator pacis spiritus.

8b. Verbis usa venenatis
Dodonem aggreditur,
Illum urget, artat satis,
Sic sanctus perimitur.

9a. Sic hostia salutaris
Immolatur et in aris
Sacer sanguis funditur;

9b. Sed redemptor protoplausti
Vespertini holocausti
Odore reficitur.

10a. Vervex pelle rubricata,
Super nivem dealbata,
Tegens tabernaculum,

10b. Passione rubricatum,
Castitate candidatum
Gessit habitaculum.

11a. Qui torcular sic calcavit
Et qui vestem dealbavit
Agni veri sanguine,

11b. A peccatis absolutos
Coelo jungat et ablutos
Nos reddat a crimine.

Miss. ms. Trajectense saec. 15. Cod. Mazarin. 433. (224).

275. De sancto Lamberto.

1a. Christo laudes dans applaude
De Lamberti digna laude
Nostra psallens concio,

1b. Aper cujus ortu gaudet,
Sed ne mundus eum fraudet,
Ardet desiderio.

2a. Qui lactatus disciplinis
Eruditur et doctrinis,
Ut devote viveret,

2b. Cum magistro subit cellas
Monachorum, ut procellas
Mundi sic effugeret.

3a. Aquas prece dulces fecit,
Quas de faece mare jecit,
Quibus plebs nunc fruitur;

3b. Gessit ignem patri parens
Sua veste vase carens,
Sed nec vestis laeditur.

4a. Tandem sede praesulatus
Ab omnibus sublimatus
Se Deo sacrificat;

4b. Consolatur desolatos,
Verbis arcet et elatos,
Omnibus fructificat.

5a. Rȩgno malis perturbato
Rex necatur, quo necato
Lampertus expellitur;

5b. Faramundus sede sedit,
Pax fugatur, nexum cedit,
Omne nefas tollitur.

6a. Cella latet vir fidei,
Patri paret, servit ei,
Qui creavit omnia;

6b. Crucem petit jussu laetus,
Deo psallit, algor spretus
Fervet Dei gratia.

7a. Revocatos Christianos
Firmat, convertit paganos,
Quorum perdit idola;

7b. Caelebs civis est in caelo,
Rabientis cadens zelo
Dodonis Christicola.

8a. Nos Lamberti, Jesu, prece
A peccati munda faece
Pietatis gratia,

8b. Ne cum malis lugeamus,
Sed cum bonis gaudeamus
In coelesti patria.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 835.

276. De sancto Laudo.

1a. Lux praeclara, lux solennis,
Quam electus duodennis
Illustravit obitu,

1b. Ter apparet Christi parens,
Trino Laudum ter apparens
Praesulavit monitu.

2a. Minor annis adolescens,
Mente major fit senescens
Morum privilegio;

2b. Usus stupet et natura,
Quod aetatem tam matura
Praevenit religio.

3a. Puer purus et insignis
Insignitur multis signis
Virtutis et gratiae,

3b. Dum thus ferret et batillum
Fulsit ignis super illum
In columbae specie.

4a. Serpens fallax et astutus
Christi servos insecutus
Robur serpit arboris,

4b. Servos servat a serpente
Dei servus, tres repente
Partes fiunt arboris.

5a. Laudo cedunt hostis doli,
Tuos, Laude, tua noli
Frustrari memoria.

5b. Jesu clemens et benigne,
Fac cum Laudo te condigne
Laudemus in gloria.

Miss. ms. S. Laudi Rotomagensis saec. 14. ex. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. fol. 5.

277. De sancto Laurentio.

1a. In coelesti hierarchia
Jugi gaudet harmonia
Levita Laurentius,

1b. Cui concordet in hac via
Noster chorus alleluia
Depromens hilarius.

2a. Ex Hispanis procreatus
Ut Samuel inspiratus
Fuit sacro flamine;

2b. Inde Romam est translatus,
In supremo collocatus
Levitorum culmine.

3a. In figura similis
Joseph, per quem sterilis
Terra relevatur,

3b. Ex thesauri fertilis
Ope vitae fragilis
Plebem consolatur.

4a. Hic sancti Job imitator,
Viduarum consolator
Pietate solita,

4b. Orphanorum sustentator,
Egenorum recreator
Operum per merita.

5a. Dum gladius Sixtum ferit,
Laurentius mortem quaerit,
Flens, quia deseritur;

5b. Elisaei formam gerit,
Cujus mentem dolor terit,
Dum Elias tollitur.

6a. Felix, per quem visio
Ligno crucis praevio
Caecis restauratur,

6b. Tobiae collirio
Usus, per quem senio
Patri lumen datur.

7a. Jacet vinclis religatus,
Carceribus mancipatus
Diri jussu Decii,

7b. Verberibus laceratus
Super prunis est assatus
Mortalis incendii.

8a. O quam fervebat ardore
Caritatis et vigore
Fidei interius,

8b. Gaudens igne tamquam rore
Puerorum trium more
Crematus exterius.

9a. Laudes ergo Laurentio,
Qui in coelis martyrio
Laureatur,

9b. Florens dogmate vario,
Ens virgo serto tertio
Decoratur.

10a. Hinc, Laurenti, pater bone,
Triumphator in agone,
Preces ad te fundimus

10b. Pro praesenti concione,
Ut mundi victo praedone
Feratur, quo tendimus.

Miss. ms. saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL 4° 10. — Mel. offenbar die der Dominikus-Prosa gleichen Anfangs.

278. De sancto Leonhardo.

1a. Patri nostro jucundemur,
In hac die gratulemur,
Leonhardum veneremur
Cum cordis tripudio.

1b. Idolorum nam cultores
Christo reddit et errores
Sternit remittendo flores
Coelesti consortio.

2a. Ergo prudens Leonhardus
Vigilavit et non tardus
Subintravit et ornavit
Lampadem cum oleo.

2b. Semetipsum abnegavit,
Christum sequens, quem amavit,
Crucem tollens stolam lavit
In Dei servitio.

3a. Palmam manu fert victricem
Digne sequens adjutricem
Sanctam Dei genitricem
In coelesti curia.

3b. Ut coelesti nos fecundet
Rore foris, intus mundet
Sanctus spiritus, inundet
Nostra corda omnia.

Miss. ms. S. Floriani XI 391. saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 395. saec. 14. B. — Miss. ms. S. Floriani III 205. saec. 15. C. — 2a, 3 oravit AB. — 3b, 2 Roris foris ABC. — 3b, 3 mundet A; Sanctusque spiritus undet B.

279. De sancto Leonhardo.

1a. Clarum sidus fulget mundo,
Luce micat laetabundo
Tenebrarum in profundo
Sole, luna clarius.

1b. Lonhardus fortis leo,
Nardus sanans plagas reo,
Praedicator placens Deo
Et Christi vicarius.

2a. Naufragari mundum cernit,
Mundum ut immundum spernit,
Carnis voluptates sternit
Petens solitudinem.

2b. Episcopatum nempe sprevit,
Regis opes abolevit,
Inops vivere decrevit
Propter beatitudinem.

3a. Reginam partu morti datam,
Prolem novam regis natam
Per orationem gratam
A morte suscitavit.

3b. Militem seris inclusum
In cavernis terrae trusum
Ad locum artum et obscurum
Potenter liberavit.

4a. Locum rex sancto donavit,
Campis, silvis hunc dotavit,
Beatus vir aedificavit
Deo monasterium.

4b. Locus est siccus in gyro,
Impetrante sancto viro
Fluunt aquae novo miro
Per Dei ministerium.

5a. In tenebrositate densa
Lux apparuit immensa,
Vincla nil prosunt appensa,
Arto loco volvitur.

5b. Milites custodientes
Facti sunt velut amentes
Claritatem hanc videntes,
Vinctus statim solvitur.

6a. Peregrinum liberavit,
Turrim cum castello stravit,
Turris ruens pars necavit
Plures de familia.

6b. Hospiti crura franguntur,
Tyranno scandala nascuntur,
Multis miraculis noscuntur
Dei mirabilia.

7a. Servum Dei crudeli poena
Liberavit cum catena.
Templi duxit ad amoena,
Demonstrant haec miracula.

7b. Sanctus in Aquitania
Militem in Britannia,
Captum tyranni mania.
Absolvit sine macula.

8a. Te rogamus, serve Dei,
Leonharde, sanctae spei,
Caritatis et fidei
Possessor et pincernula,

8b. Solve vincla peccatorum.
Seras, cippos delictorum,
O solamen afflictorum,
Devote Christi vernula..

9a. Pater, abba venerande,
Leonharde honorande,
Alas super nos expande
Tuae misericordiae,

9b. Ut a malis eruamur,
De delictis compungamur,
Te juvante conjungamur
Coelesti concordia.

Sequent. ms. Cremifanense saec. 15. (post Miss. Roman. imp. Venetiis 1484) A. — Miss. ms. S. Floriani XI 385. saec. 15. B. — Miss. ms. Mellicense 987. saec. 15. C. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. D. — Der Autor gestattet sich einen Versvorschlag von einer Unbetonten. — Str. 7a und 8b fehlen A; Str. 4b sqq. fehlen B. — 2b, 4 Propter rectitudinem C. — 4b, 4 Per Dei mysterium D. — 6b, 1 Opificis crura A. — 7b, 1 Strictum in Aquitania A. — 7b, 3 tyranni immania AC.

280. De sancto Leonhardo.

1a. Laetabundus
Leonardo cantet chorus,
Alleluja,

1b. Quem profudit
Primo flore miro more
Lux divina.

2a. Sanctus signis floruit,
Quia pure coluit
Creatorem,

2b. Franciam, quam rexerat,
Prece munda reparat
Ad vigorem.

3a. Ad desertum evolat,
Nudus crucem bajulat
Salvatoris;

3b. Ibi carnem macerat,
Ibi pugnans superat
Vim adoris.

4a. Dum sic Christo militat,
Fratrum turmas incitat
Ad aeterna,

4b. Leonhardus sibimet
Apta loca petiit
Ter quaterna.

5a. Eja, pater pauperum,
Noxas dele scelerum,
Ignem quo tartareum
Evadamus;

5b. Tuis fer auxilium,
Ut post hoc exsilium
Tecum Dei filium
Videamus.

6a. Ora pro tuorum
Statu filiorum
In conspectu
summi regis,

6b. Ut nos a peccatis
Nostris perpetratis
Donet esse
dextri gregis.

Miss. ms. Gurcense saec. 15. Cod. Musaei Virunens. 332. A. — Grad. ms. Brixinense saec. 15. Cod. semin. Brixin. s. sign. B. — Mel.: Laetabundus B. — 1a, 2 decantet AB. — Str. 2b fehlt B. — 3b, 1 Ubi B.

281. De sancto Leopoldo.

1a. Lux est orta populo
Omni laude digna,
Viget sanctus marchio
Gratia benigna.

1b. Exultet ecclesia
Pio Leopoldo,
Laudum psallat carmina
Voce, corde, lingua.

2a. O quanta justitia,
Fide, spe, clementia,
Exstirpando vitia
Rexit hic pacifice.

2b. Pietatis opera
Perfecit largissime,
Unde pius marchio
Proclamatur undique.

3a. Ornata virtutibus,
Cunctis carens vitiis,
Bonis plena moribus,
Divi nata Caesaris

3b. Leopoldo traditur,
Proles multa nascitur,
Educata praecipuis
Duobus episcopis.

4a. Duo monasteria
Construxit hic funditus,
Reformavit caetera
Largis cum reditibus.

4b. Ubi monasterium
Locaretur aptius,
Conjugis flammeolum
Ostendit divinitus.

5a. Sancta ejus anima
Congaudens jam sanctis.
Fulget nunc in ecclesia
Maximis miraculis.

5b. Conditorem omnium,
Nostrum redemptorem,
Adoremus Dominum
Votis sincerissimis.

6. Ut donet per merita
Beati Leopoldi
Nos hic et in patria
Pia pace frui.

Sequent. ms. Cremifanense saec. 15. post Miss. Rom. imp. Venetiis 1484. A. — Miss. ms. Lincense Γ p. 23. add. saec. 15. B. — Miss. ms. Salisburgense anni 1490. Cod. Palat. Vindob. 1778. C. — Miss. ms. Claustriburgense 72. saec. 15. D

282. De sancta Lucia.

1a. Lucia, solemnio
Tuo psallit concio
Nostra Jesu, filio
Dei patris.

1b. Agathae colloquio
Diseis, quod suffragio
Tuo, virgo, passio
Cesset matris.

2a. Atque temporalia
Clemens spargis omnia,
Cogeris ad impia
Quasi maga.

2b. Sed resistens gratia
Plena lucis filia,
Diceris, egregia,
Lupa vaga.

3a. Laesa verbis, verbere
Judex te polluere
Jubet carnis scelere,
Sed, alumna,

3b. Jesu Christi munere
Nullus quit te trahere,
Fis immota propere
Ceu columna.

4a. Virgo suffers gladium
Resinam, incendium,
Oleum et gladium
Atque picem.

4b. Sertum carpis crinium,
Per te Jesus, gentium
Rex, det nobis bravium
Se felicem.

Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacens. 3311. — 4a 1 suffers locium Hs.

283. De s. Ludovico Episcopo.

1a. Boni dator perfectius
Deus mundum ditavit,
Cum Ludovicus clarius
Et altius
In mundo radiavit.

1b. Accrescens iste filius
Ut Joseph conservavit
Semper se castum, purius
Et plenius
Populum Dei pavit.

2a. Nec cura Dei defuit,
Quamvis incarcerari
Permiserit, sed adfuit
Et imbuit
Doctrina salutari.

2b. Quotidie plus viguit
Virtute singulari
Et ut David non potuit
Nec debuit
A quoquam superari.

3a. Affluens est per omnia
Natus stirpe regali
Ut Salomon prudentia
Cum gratia
In statu pastorali.

3b. Laborat eloquentia
Et ope manuali
Hic Esdras, ut ecclesia
Eximia
Sit gradu principali.

4a. Innumeris virtutibus
Ad instar Danielis
Praepollens nos ab omnibus
Insultibus
Hostis serva crudelis.

4b. Sacrisque suis precibus
Sic nos juvare velis,
Quod mentibus, sermonibus
Et actibus
Simus semper in caelis.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 861 mit Mel. A — Miss. ms. Praedicatt. Parisiens. saec. 15. Cod. Tolosanus 102. B. — 1a, 4 fehlt B.

284. De sancto Maglorio.

1a. Fulget dies hodierna,
Qua conscendit ad superna
Pontifex Maglorius,

1b. Regnat ubi sine fine
Verbi, patris ac reginae
Genitricis filius.

2a. Qui visebat parvus scholis
Verum dogma veri solis
Melle, favo dulcius,

2b. Quod secreta sibi cella
Praesignabat in tabella
Angelus eximius.

3a. Sic nimirium
instrui coelitus
Admiratus
est doctor inclitus
Puerum benignius;
Omnis cessit huic sodalis,
Cum doctrinae jubar talis
Non sensit interius.

3b. Virgo mansit
matris ab utero,
Panno semper
indutus aspero
Advixit egregius
Favorali sine vento;
Se ciborum alimento
Jugi parsimonia

4a. Abdicavit quarta prorsus,
Nec recepit quid introrsus
Sexta nec non feria.

4b. Hic divinum per affatum
Dereliquit praesulatum
Petens solitaria.

5a. Ubi nunquam hausit vinum,
Sed nec potum sicerinum
Aspernatus talia,

5b. Pane vescens hordeorum
Amnem bibit fluviorum
Parcitate nimia.

6a. Felix vita, sacer actus,
Nam patravit caelebs factus
Virtutum insignia.

6b. Tactu manus lepram tersit,
Rore sacro quem respersit
Spiritalis gratia.

7a. Functis citam
Dedit vitam,
Cibo pavit,
Quos vexavit
Fames in Britannia.

7b. Naufragorum
Parvulorum
Suffragator,
Consolator
Fuit super maria.

8a. Informavit verba mutae,
Per hunc rupis dissolutae
Plebs fugavit hostes tute
Lapillorum copia.

8b. Anguem stravit venenosum
Et erexit tortuosum,
Indulcavit acetosum
Fructum ad convivia.

9a. Finis cujus consecratus
Est e coelo nuntiatus,
Quod sanctorum ei coetus
Obviando canit laetus
Divina magnalia.

9b. Sic post mundum triumphatum
Et perfectum coelibatum
Stola vitae revestitus
Et corona redimitus
Magnus fit in gloria.

10a. O Maglori, jam sonori
Melos hujus audi chori,
Nos supernis jungens turbis
Fac perennis cives urbis
Mundi post exsilia.

10b. Sed pro nobis, praesul care,
Salvatorem deprecare,
Ut dignetur nos salvare
Verae lucis ac praeclarae
Dans aeterna gaudia.

Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 623.

285. De sancto Mammete.

1. Omnipotens Deus,
salus nostra vera,

2a. Cujus imperio
subditur creatura,

2b. Per quem veneranda
fulget lux hodierna.

3a. Creator omnium,
regnans per saecula
sempiterna,

3b. Deus homo factus,
ut transferret homines
ad superna.

4a. Tu es victoria
beatorum martyrum
et corona,

4b. Perfecta caritas
et laborum requies
post tormenta.

5a. Rex immense,
Deus, sanctorum gloria,
Probatis per certamina
Quanta parasti munera.

5b. Jam subdita
Te contremiscunt tartara,
Regis tua potentia
Coelum, mare, terrestria.

6a. Tibi consona cantica
plaudit coelestis caterva
hac die, in qua
venit Mammes cum laurea
ad paradisi gaudia.

6b. O patientia, dira
ferendo, vincens gravia
et discrimina,
per diversa supplicia
crescit mater ecclesia.

7a. Salve, sanctorum
decus, rex Christe,
per Mammetis sacra
salva nos merita.

7b. O flos martyrum,
Mammes, tibi laus,
puerilis gemma,
precantes adjuva.

8a. Invictus athleta,
fidei columna,
cuncta sprevisti tormenta
pro perenni vita.
Deo tu victima
pacifica
obtulisti grata libamina
mundi cordis
fundens aromata.

8b. Jam cum Christo regna
possidens superna,
laesa et nimis inculta
munda corda nostra.
Tua recolentes
solemnia
transfer tecum ad vera gaudia,
melos laudum
ut cantemus una.

9a. Cum rex Christus
in die suprema
apparebit facie beata,
tunc nos, martyr
clementer excusa.

9b. Ut expulsa
peccatorum nebula
decorati stola incorrupta
transeamus
ad vitae pascua.

10. Ubi regnanti per saecula
jubilemus omnes Alleluja.

Miss. ms. S. Stephani Divionens. saec. 15. Cod. Parisiens. 879 A. — Grad. ms. Longoretense saec. 13. Cod. Parisiens. 10511 B. — 2b, 1 O quam veneranda B. — 5a, 1 O rex immense AB. — 6b, 1 dira in 6b, 3 unter Zerstörung des Versmafses AB; dura B. — 7b, 3 gemina B. — 8a, 4 pro fehlt A. — 8a, 9 ferens aromata B. — 8b, 3 laeta et nimis A. — 10, 1 Ibi regnanti.

286. De sancta Margaretha.

1a. Orta stirpe nobili,
Vita commendabili
Margaretha floruit.

1b. Habitu sub humili
Corde, voto stabili
Fide Christi viguit.

2a. Quam perspectam impius
Praefectus Olybrius
Precatur in conjugem,

2b. Sed fidei praevius
Clipeus egregius
Hanc tuetur virginem.

3a. Quam in Christo vivere
Cernens nec devincere
Suis valens precibus.

3b. Jubet mox arripere,
Ac pressurae tradere
Firmarique vectibus.

4a. Tandem foras trahitur
Et duris affligitur
Virgarum aculeis.

4b. Ungulis hinc scinditur,
Ubi sanguis funditur,
Nec cedit ut paleis.

5a. Et iterum clauditur,
Ubi draco vincitur
Signo crucis penitus.

5b. Ense demum caeditur,
Ubi Christo creditur,
Et fit felix transitus.

6. Eja, virgo, memineris,
Quid in morte petieris,
Ut per tua precamina
Nostra solvantur crimina.

Grad. ms. Capit. Olomucens. 195 saec. 14.

287. De sancta Margaretha.

1. Sacra nunc Margaretha
tua alacres festa

2a. Nos colimus preces
fundentes

2b. Famuli ad Deum
supplices.

3a. Ut tuis precibus
sedulis nos juvet
ac locet Olympo.

3b. Quae mundi gloria
hujus postposita
amore divino

4a. Blandientibus
tyranni crudelis
sermonibus
non consenseras,

4b. Depollicentibus
scilicet nuptiis
Olybrii
vitae praesentis.

5a. Et presso
capite serpentis
ac calcato
pede tenero

5b. Nitentis
sorbere, puella
inclita, te,
Christo haesisti.

6a. Qui te defendit
ope suimet
nullo vincenda
scutoque non terrestri

6b. Atque tempore
finito poenae
martyrizatam
transtulit ad sidera.

7a. Ibi regis milites
summi ac virginales
laetantur chori

7b. Laudes dignas reddentes
vocibus supplicibus
regnanti semper

8. Christo per saecula cuncta.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign. A. — Miss. ms. Altovadense 119 saec. 15. B. — Miss. ms. S. Matthaei in Scharka saec. 15. Cod. Pragens. XII A 21. C. — Miss. ms. Capit. Pragens. P 1. saec. 15. D. — Miss. ms. Pragense XIV B 17. saec. 15. E. — 4b, 1 Ac pollicentibus B. — 4b, 4 praesentis vitae E. — 5b, 1 Nitentem B; Mittetis sobrie E; Mittentes sorbere A. — 7a, 2 virgines D. — 7b, 3 semper fehlt D. — Mel.: Romana.

288. De sancta Margareta.

1a. Margaretae
Canamus ob diem laete
Christo laudes.

1b. Haec despexit
Deos patris nec dilexit
Mundi fraudes.

2a. Oves hinc nutriculae,
Pascens, Christo sedule
Famulatur.

2b. Videns hanc Olybrius
Ad amorem ebrius
Inflammatur.

3a. Quem dum virgo respuit,
Ille poenas instruit
Acriores,

3b. Vincit ignem plumbeum,
Picem, fervens oleum
Et tortores.

4a. Mittitur in carcerem
Martyr, daemon martyrem
Terrens angit.

4b. Glutit hanc atrociter
Draco, quem velociter
Cruce frangit.

5a. Crux columbam detulit,
Hostem virgo perculit
Et fateri compulit
Inquisita.

5b. Occidenda precibus
Instans pro supplicibus
Votis est felicibus
Exaudita.

6a. Ergo, Domine,
Solvas a crimine
Per Margaretam
nos virginem.

6b. Depelle nocua,
Donans proficua
Et duc ad coeli
nos pascua.

Missale ms. Cremifanense 132. saec. 14. — Mel. offenbar: Laetabundus.

289. De sancta Margaretha.

1a. Cum coelesti hierarchia
Laudet festi melodia
Laude Deum sedula

1b. In patrona Margaretha,
Cujus dona non secreta
Fide lucent credula.

2a. In amore vitae castae,
Coeli rore rite pastae,
Nunquam stetit dubia,

2b. Fides ejus, fides sana,
Damnat poenis, dum profana
Respuit connubia.

3a. Est ludibriis affectus,
Quod Olybrius praefectus
Servam putat emere,

3b. Christus illam commutavit
Et ancillam liberavit
Nil agendo temere.

4a. Ante reos virgo ducta
Negat deos, crescit lucta,
Quia cassat vitia.

4b. Quos ignorat, non adorat,
Christum amat, hunc acclamat
Manens in peritia.

5a. Praeses stridet et minatur,
Quando videt, quod spernatur
Decreti conditio.

5b. Virgis caedi jubet eam,
Jubet laedi, tradi ream
Carceris supplicio.

6b. Dum inclusa jacet sola
Prece fusa cordis nola
Roboratur gratia,

6b. Ne terroris pungat spina,
Signum foris, spes divina
Conferunt solatia.

7a. A maligno deglutitur,
Crucis signo custoditur
Nec obest fallacia,

7b. Hostem tractum per capillum,
Sub se jactum calcat illum
Mentis in audacia.

8a. Igne cocta non combusta,
Digne docta, spe robusta
Migrat cum victoria,

8b. Quae pro Christo decollatur,
Sponso Christo coaptatur
In perenni gloria.

9a. Aurum gerit fide pura,
Castitatis offert thura,
Cum his offert tertium

9b. Myrrham Christo passionis
Et, ut sanet aegros donis,
Obtinet commercium.

10a. Jesu bone, nos ob hujus
Salva preces, festa cujus
Nostra colunt studia.

10b. Nos a tempestatis fundo
Duc ad hujus ductu mundo
Plausus et tripudia.

Grad. ms. Cranenburgense anni 1340. Mel.: Majestati sacrosanctae. — 2a, 2 site vastae Hs.

290. De s. Maria Magdalena.

1a. Gaude, felix Magdalena,
Spes salutis, vitae vena,
Lapsorum fiducia;

1b. Gaude, felix advocata,
Resurgendi norma data
Miseris post vitia.

2a. Gaude, lotrix pedum Christi,
A quo tanta meruisti
Amoris insignia;

2b. Gaude, felix, Deo grata,
Cui dimissa sunt peccata
Speciali gratia.

3a. Gaude, prima digna frui
Jesu redemptoris tui
Surgentis cum gloria;

3b. Gaude, quae septenis horis
Es ab antro vecta foris
Ad coeli vestigia.

4a. Gaude, quae nunc sublimaris
Et cum Christo gloriaris
In coelesti curia;

4b. Fac nos tecum poenitere,
Ut post mortem lucis verae
Sortiamur gaudia.

Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. A. — Cod. Pragensis VI C 20 saec. 16. B. — Cod. S. Petri Salisburgens. b VI 3. C. — Cod. S. Petri Salisburgens. b II 24 anni 1538 D.

Ausdrücklich als Sequenz bezeichnet in A; Mel.: Quadriforme signum crucis AB. — 1a, 1 pia Magdalena D. — 1b, 2 forma data D; dulcis advocata D; 2a und 2b umgestellt D. — 4b fehlt D. — 4b, 1 Fac nos hic poenitere B.

291. De s. Maria Magdalena.

1a. Gaudeat fidelium
concio laetabunda

1b. Personans dulce laudum
melos voce jucunda.

2a. Adsunt namque nobis
solemnia
celebris
reverentiae cultu digna

2b. De transitu sacro
ad supera
felicis
Mariae Magdalenae regna.

3a. Quae beatae spei certa
jucundaque
praebet nobis documenta,

3b. Deserentes ut crimina
De venia
confidamus obtinenda.

4a. Haec enim multimoda
delictorum macula
quondam nimis obsita

4b. Divinae largitatis
gratia fit remissis
tandem culpis nitida.

5a. Fons coelestis misericordiae.
sui roris hanc perfudit
Christus copia.

5b. Ut suae nobis indulgentiae
quanta sit hinc demonstraret
affluentia.

6a. Agamus ergo illi gratias
pro tanta ejus cura
nos clementia.

6b. Mala. quae gessimus, peccata
condigna diluentes
poenitentia.

7a. Mentium nostrarum intima
fonte hoc
rigamus pietatis
arida,

7b. Roris ut ipsius gratia
proferant
irrigata virtutum
germina.

8a. O Maria.
Dei sponsa, Dei amica,
meritis egregia,

8b. Ad munera
ejus promerenda nos pia
juva per suffragia.

9a. Nostris animabus
languidis coelitus
vitalia

9b. Confer medicinae.
quaesumus, divina
remedia.

10a. Ut ab omni culpae
te impetrante
mundati macula

10b. Tibi coram Deo
conjungamur in
coelesti curia.

11. Amen dicat fidelis chorus
et Alleluja.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105 mit Mel.

292. De s. Maria Magdalena.

1a. Laudum Christo praeconia
personemus
dulci musica.

1b. Qui de summis ad intima
quaesiturus
venit perdita.

2a. Cujus pietas
defectus nescia
mundi delevit crimina.

2b. Saeva avertit
mortis discrimina.
vitae dedit remedia.

3a. Ad hanc mente
cucurrit avida
hinc Magdalena Maria.

3b. Sua deflens
ubertim crimina
veniam prece postulat,

4a. Nec ad pias
ipsius lacrimas
divina remoratur
flecti clementia,

4b. Culpas ei
remittit pristinas
multaque sui notat
amoris gratia.

5a. O felices felicis
mulieris lacrimae,
felicia
nactae salutis gaudia!

5b. Quae fuerat sordida
Babylonis filia,
Jerusalem
fit ecce proles nitida.

6a. Sequamur exempla
nobis proposita,

6b. Diluamus nostra
flendo peccamina.

7a. Ut cum ipsa veniam
promerentes et gratiam

7b. Pervenire coelicam
valeamus ad patriam.

8a. Annuat nobis ista
ejus prece
pro nobis sedula,

8b. Qui gubernans omnia,
Deus verus
regnat in saecula.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. Mit Mel. in Noten. — 2b, 1 mortis avertit. — 3b, 3 veniam dulci prece. — 4a, 1 Hec ad pias.

293. De ss. Maria Salome et Cleophae.

1a. Laudes Christo decantemus,
Hymnos dulces personemus
Mariae sororibus,

1b. Jubilemus his matronis,
Quae fruuntur coeli donis
Cum supernis civibus.

2a. Istae duae sunt sorores,
Stellae maris et sunt flores
Pares pari nomine,

2b. Nam Mariae sunt vocatae,
Prole sancta sunt ditatae,
Plenae sancto flamine.

3a. His duabus Anna mater,
Sed non fuit unus pater
Cum Maria virgine,

3b. Nam Joachim et Cleophas
Annae nubunt et Salomas
Subsequenti ordine.

4a. Primus gignit Christiferam,
Cleophas gignit alteram
Et Salomas tertiam.

4b. O quam felix, quam praeclara
Anna mater et quam cara,
Trinam gignens filiam.

5a. Non fuerunt hae steriles
Sed in prole nobiles
Praecurrente gratia.

5b. Prima Deo dedicata
Christum gignit illibata,
Manent claustri lilia.

6a. Sequens est Jacobi mater,
Qui dicitur Christi frater
In similitudine,

6b. Joseph, Simon et Thaddaeus
Ex hac, pater est Alphaeus,
Sacro gaudent numine.

7a. Zebedaeus ex alia
Jacobum de Galitia,
Johannes huic additur;

7b. Hae sunt matres egregiae
Et sunt Annae tres filiae,
Sic fecunda redditur.

8a. Hae sorores cum Maria
Magdalena mente pia
Valde mane veniunt

8b. Dolentes ad monumentum
Et secum ferunt unguentum,
Christum non inveniunt.

9a. Heu quis volvet petram, quaerunt,
Revolutam conspexerunt,
Viso pavent angelo.

9b. Qui dulciter has affatur,
Ut nuntient, exhortatur,
Cuilibet discipulo.

10a. Atque Petro nuntiari
Vult angelus nec celari,
Sed ut vadant passu pari
Statim in Galileam.

10b. Quae dum irent audientes,
Quod viveret et credentes,
Adest Christus ad gementes
Occurrens per plateam.

11a. Has salutat valde laete
Eisque dicens: avete,
Ecce vivus sum, gaudete,
Patet resurrectio.

11b. Tunc accedunt et beatos
Pedes tenent amplexatos,
Osculantur perforatos,
Mulcet laeta visio.

12a. Resurgentis sunt nuntiae,
Primordia laetitiae
Nuntiarunt laude plena
Cum Maria Magdalena
Desolatis fratribus.

12b. Ergo piae nos matronae,
Quae nepotem in agone
Vidistis et resurgere,
Faciatis nos scandere
Secum in coelestibus.

Clm. Monacens. (ol. Superioris Altae) 9508 saec. 15. A. — Cod. Parisiens. 1147 saec. 15 B. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. C. — Miss. ms. Gemmeticense saec. 12/13. Cod. Rotomagens. 298 add. saec. 15. D. — Mel.: Laudes crucis A. — 1b, 2 foventur A. — 2b, 2 dotatae B. — 7a, 2 Galatia A. — 10b, 3 sq. et gementes occurrunt C. — 11a, 3 vivens sum C.

294. De sancta Martha.

1a. Angelorum dominum
Turbae laudant hominum
Marthae natalitio;

1b. Ista panem coelicum
Propter nos famelicum
Reficit hospitio.

2a. Ut a sanctis editur,
Haec sanata creditur
Tacta Christi fimbria,

2b. Jesu felix hospita
Satagit sollicita
Circa ministeria.

3a. Hanc frequentans visitat
Christus, isti suscitat
Lazarum ab inferis;

3b. Haec active speculum
Dat per omne saeculum,
Boni formam operis.

4a. Virgo dum defungitur,
Christus sanctis jungitur
Sanctae sepultoribus;

4b. Mox disparens prodidit
Scripto, quibus praedidit
Famulam honoribus.

5a. Jesu, dulcis hospitae
Supplicatu sospite
Nos hic cursu dirigas,

5b. Ut post carnis terminum
Non recordans criminum
Nos in coelis colligas.

Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. A. — Miss. ms. Sanemmeramense anni 1493 Clm. Monacens. 14297. B. — 2a, 2 sanatur A. — 2b, 1 sq. hospitae ... sollicite A.

295. De sancta Martha.

1a. Gaude, Martha. et laetare,
Jucundare, gratulare,
Jubilaque Domino,

1b. Quem tu quondam suscepisti
Domo tua et pavisti,
Jesum Christum nomine.

2a. Qui pro nobis pauper nasci
Dignatus et a te pasci
Est Deus piissimus,

2b. Licet esset et est dives,
Sicut cui coelorum cives
Psallunt ut est optimus.

3a. Solus summus sine pare
Et aeternus, quem amare
Et vere diligere

3b. Est veraciter regnare;
Jesu dulcis et praeclare,
Fac nos tibi vivere.

Miss. ms. S. Jacobi Brunens. 12. saec. 15.

296. De sancto Martino.

1a. Cor ad laudem redemptoris
Sonet intus, lingua foris
Martini praeconia,

1b. Quem Turonis tumulavit,
Pannonia generavit,
Nutrivit Italia.

2a. In Martino Christo teste
Et pro Christo caesa veste
Commendatur pietas,

2b. Mentem fastus non irrupit,
Sacrum corpus non corrupit
Luxus et ebrietas.

3a. Miles servo deservivit,
Tandem jugo colla trivit
Claustralis inediae;

3b. Pane vitae gregem pavit
Pastor factus et potavit
Aqua sapientiae.

4a. Miles, praesul, coenobita,
Triplex status, triplex vita
In te Christo placuit;

4b. Te cultorem trinitatis
Trina tribus suscitatis
Virtus esse docuit.

5a. Trino statu decertasti,
Cui te trinum coaptasti
Senex, vir et juvenis;

5b. Tibi nomen est Martinus,
Quod in Christi marte trinus,
Ope trina subvenis.

6a. Arma miles administras,
Quibus hostes et sinistras
Potestates conteris;

6b. Praesul doces et objurgas,
Coenobita prece purgas
Zima vitae veteris.

7a. Ergo confer opem trinam,
Arma, preces et doctrinam,
Muni, munda, instrue;

7b. Nos pro culpis non culpari
Sed coelestis collocari
Fac in loco pascuae.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339. — Mit Mel.

297. De sancto Maudeto.

1a. Collaudemus Jesum Christum,
Qui dicavit diem istum
Maudeti laetitiae,

1b. Die namque hodierna
Translatus est ad superna
De valle tristitiae.

2a. Stirpe natus de regali
Regno cessit temporali,
Linquens fines patriae.

2b. Exsul paucis comitatus
Per tot fluctus est delatus
In pagum Trecoriae.

3a. Vita, verbo praedicabat,
Auditores sociabat
Coelesti familiae;

3b. Surdis, mutis medebatur,
Caecos natos solabatur
Oculorum acie.

4a. Monstra, vermes conterebat,
Nullum virus resistebat
Maudeti potentiae;

4b. Quae vox dicet, quibus signis
Iste sanctus sit insignis,
Succumbo materiae.

5a. O qui vermes corporales
Necas, neca spiritales
Vermes conscientiae.

5b. Serve bone et fidelis,
Fac ornari nos in caelis
Tecum stola gloriae.

Miss. ms. Sammaglorianum saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 623.

298. De sancto Matthaeo.

1. Almi gratia
adsit nobis spiritus,

2a. Ut digne celebremus
Hujus diei gaudia,

2b. Congaudent in quo sancto
coeli concives Matthaeo.

3a. Et tu, Matthaee,
Christi miles inclite,

3b. Propitium te
nostris votis exhibe.

4a. Et laudes, pro te hodiernas
quas Deo referimus,

4b. Nos, illi reddas ut placentes,
supplices expetimus.

5a. Jam credimus,
quod tu omnia
poteris coram Domino.

5b. Quem tu sequi
jussus omnia
sprevisti cum teloneo.

6a. Et idcirco virtutum
plurima per praeconia

6b. Sanctitatis in aevum
celebris est memoria.

7a. Ezechiel te propheta
quondam praevidit
inter quatuor
animalia.

7b. Et flumen tu paradisi
mundum irrigas
tuis doctrinis
evangelii.

8a. Verbo fidei
tu Aethiopes
Deo coeli
praedicans lucratus es.

8b. Fidem, quam verbo
praedicaveras,
per virtutum
signa confirmaveras.

9a. Victor magorum
nam effugasti
pestes draconum

9b. Tuque defunctum
resuscitasti
regis filium.

10a. Ipsum regem
Christo fidelem cum suo
baptizasti populo.

10b. Provincias
tu firmabas ritibus
sacris et ordinibus.

11a. Inter quos Deo
virginalem
consecrans statuisti
primus ordinem.

11b. Illam tu velo
dedicatam
regendo perfecisti
Epigeniam.

12a. Sed diabolus,
qui semper est malignus
Regi virginis illicitos
sugessit
ut peteret thalamos.

12b. Pro quo conflictum
subeundo pium
victor hodie martyrio
et palmam
referens de proclio

13. Hunc diem gloriosum fecisti.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign. — Mel.: Rex omnipotens die hodierna. Die Sequenz zeigt durchgehende Endassonanz mit sporadischem Reim. — 12a, 4 petis Hs.

299. De sancto Matthaeo.

1a. Coeli portae cum apertae
Forent, terrae sunt refertae
Rore pleno gratia,

1b. Ex qua flos de virga Jesse
Novum sibi sumpsit esse
Orbis et per spatia

2a. Flos odorem hic protendit,
Suum rorem et expendit
Ros misericordiae.

2b. Virga virgo, flos est natus
Ejus, Deus incarnatus
Mundi per exordia.

3a. Venit hic non propter sanos,
Peccatores, publicanos
Sed ut salvos faceret,

3b. Quis Matthaeus congregatus
Ipso teste, cum vocatus
Est et non resisteret.

4a. Dum vocatur, mox obedit,
Vectigali hinc decedit,
Hinc invitat Dominum;

4b. In domum materialem,
Sed plus intellectualem
Cepit lumen luminum.

5a. Murmurant hinc pharisaei:
Hic si natus esset Dei,
Peccatores fugeret,

5b. Nescientes, quod creator
Mundi venit et salvator,
Ut redemptor fieret.

6a. Nihil enim profuisset
Nobis nasci, ni fuisset
Nostra reparatio,

6b. Unde major hinc creanti
Redemptori ac salvanti
Debetur laudatio.

7a. Publicus negotiator,
Generalis dispensator
Fit in evangelio,

7b. Christi in apostolatu
Martyr tandem principatu
Coeli stans in gloria.

8a. Candidus et rubicundus,
Speciosus, prudens, mundus,
Electus ex milibus,

8b. Supra nivem dealbata
Stola ejus, byssus grata
Contexta subtilibus.

9a. Ecce, talis est dilectus,
Sion, tuus ex dilecto
Matthaeus apostolus.

9b. Felix pius et perfectus
Ex amico et profecto
Cujus hic magnipolus.

Miss. ms. Cellae principum anni 1487. Clm. Monacens. 7204. A. — Miss. ms. Monacense 23278 saec. 15. B. — 1a, 3 Rore plena A. — 1b. 1 Ex quo B. — 3b, 1 Quos Matthaeus congregatos A. — 6b, 1 Inde A.

300. De sancto Matthaeo.

1a. Fides monstret regnum Dei,
Ducat spes, adstringat ei
Nos perfecta caritas.

1b. Dat accessus ausum reo
Culpae quondam in Matthaeo
Nihil distans paritas.

2a. Hic dum nil coeleste querens,
Sed cor cura terrae terens,
Teloneo residet,

2b. A vocante mox erectus,
In apostolum electus
Celes zelo praesidet.

3a. Jam mutatus ex nummista
Primus fit evangelista,
Primus testis gratiae,

3b. Christi generationem
Scribens aquilam, leonem,
Bovem praeit facie.

4a. Cum Johanne, Marco, Luca
Prior trahit in carruca
Et quadriga Domini.

4b. Eum passum, resurgentem
Illi scribunt, hic nascentem
Et conformem homini.

5a. Ex hoc figuratur homo.
Hinc in Levi primum domo
Christi fit convivium,

5b. Jam dum Deus humanatur,
Mensa coeli saginatur
Acremento civium.

6a. Magnum pietatis posse
Haec excelsi dedit nosse
Dexterae mutatio,

6b. Trapezita vectigalis
Scripto fit initialis
Novae legis satio.

7a. Nos in suo firmet cultu,
Quem designat homo vultu,
Ales, leo, vitulus;

7b. Qui dum sterilem fecundat,
Novum testamentum fundat
Publicani titulus.

8a. Iste fide, qua corruscat,
Quos plus mens quam pellis fuscat,
Candidet Aethiopes,

8b. Ob hunc, Jesu, culpas veta
Et coelorum locupleta
Copia nos inopes.

Grad. ms. Ratisbonense saec. 12. Clm. Monacens. 13125. add. saec. 15. A. — Cantionale Vissegradense V C c η saec. 15. B. — Mel.: Gaude Sion quod egressus A. — 1b, 1 Sed accessus B. — 5a, 2 In qua primum Levi domo B. — 6b. 1 Trapezite A; praepefita B.

301. De sancto Maturino.

1. Maturinus, vir maturus,
Quamvis puer tamen purus
Militat in puero,

2a. Flos jucundus, flos fecundus,
Per affectum et effectum
Pullulat a tenero.

2b. Flore Sion decoratur
Et decora serenatur
Galliae lucifero.

3a. Fide patrem reformavit,
Matrem suam reparavit
Verae vitae gratia,

3b. Maturinus maturus pectore,
Clarus stirpe, praeclarus opere
Victor transit stadia.

4a. Fit sacerdos pridem sacer,
Orans, plorans, vigil. macer
Se Deo suppeditans.

4b. Romam petens maria
Sedat et naufragia
In fide non haesitans.

5a. Christi servus Romam venit
Pestem, plagas, morbos lenit,
Effugat daemonia;

5b. Gratulatur imperator,
Quod ejectus est vexator
Spiritus a filia.

6a. Spernit lucrum temporale,
Dum praefertur aeternale
Christi beneficium,

6b. Romae sanctus conversatur
Et diversis suffragatur
Regis per triennium.

7a. Febre post haec inflammatus,
Coelitus sed obumbratus
Mundo mundus moritur,

7b. Vivens vita coelica
Turma cum angelica
Gloria perfruitur.

8a. Terrae corpus commendatur,
Nec in terra commoratur
Extra terram positum,

8b. Extorrem condiverat
Princeps et remiserat
In capsa reconditum.

9a. Hunc remissum suae terrae
Princeps jubet suos ferre
Cum honore regio,

9b. Vivus dudum hoc optavit
Et legatos obligavit
Pridem hoc officio.

10a. Liricantus fertur vicus,
Ubi Christi est amicus
Corruscans miraculis;

10b. Liricantum habitavit,
Vitae liram temperavit
Non deliris modulis.

11a. Hinc translatus, hinc humatus,
Ubi vixit, ut praefixit,
Hic quiescit, hic clarescit
Galliarum populis.

11b. In hoc loco praestolatur
Stolam, in qua sustollatur,
In qua sancto conferatur
Vita refrigerium.

12a. In hoc sancto speculemur,
Sancti vitam imitemur
Et in sancta contemplemur
Vita vitae bravium.

12b. O vir sancte, Maturine,
Vir virtutum, vir divine,
Vir maturae medicinae
Dans aegris remedium.

13a. Stringe nostrae carnis fluxum,
Sicca mare, purga luxum.
Lepram sana Simoniae,
Lava nostrae naevos Liae,
Quaeque mundans sordida.

13b. Ut vivamus emundati,
Regno Dei praeparati,
Dei formam praetendentes,
Veste sponsi refulgentes
Aula coeli fulgida.

Miss. ms. S. Maturini Parisiens. anni 1510 Cod. Mazarin. 430 (233). — Mel. jedenfalls: Laudes crucis.

302. De sancto Maturino.

(In Octava.)

1a. Flore Sion decoratur,
Quo decora serenatur
Et serena jucundatur
Galliae lucifero,

1b. Maturinus, flos jucundus,
Fructu vitae flos fecundus,
Sine mundi caeno mundus
Pullulat a tenero.

2a. O vir sancte Maturine,
Vir virtutum, vir divine,
Vir maturae medicinae,
Medere languentibus.

2b. Stringe nostrae carnis fluxum,
Sicca mare, purga luxum,
Ne mergamur post refluxum
Mellitis in fluctibus.

3a. Irae fervor exstinguatur,
Sitis opum compescatur,
Faex livoris excludatur
Et mordax detractio.

3b. Ut vivamus Deo grati,
Regno Dei praeparati,
Sole Christo serenati
In solari solio.

Miss. ms. S. Maturini Parisiens. anni 1510 Cod. Mazarin. 430 (238). — Mel. jedenfalls: Verbum bonum.

305. De sancto Mauritio.

1a. Ex affectu cordis mundi
Recolamus laetabundi
Martyrum memoriam,

1b. Qui pro Christo spernunt mundum,
Ut de mundo mittant mundum
Spiritum ad patriam.

2a. Ad mandatum saevi regis
Ferro caesus pii gregis
Cadit quisque decimus,

2b. Scelus idem iteratur,
Ut hoc metu terreatur
Legionis animus.

3a. Fremunt hostes sed Thebaei
Propter testamentum Dei
Sua tradunt corpora;

3b. Mori prior quisque vovet,
Felix locus, qui tot fovet
Pretiosa pignora.

4a. Felix terra. felix pratum.
Pretioso purpuratum
Thebaeorum sanguine,

4b. Felix virens Viroletum,
Ubi laetus subit letum
Grex pro Christi nomine.

5a. Victimatur grex fidelis,
Cujus merces est in caelis,
Cadit sed non vincitur,

5b. Venit hostis, secat, caedit,
Sed grex sacer minus cedit,
Quanto magis caeditur.

6a. O Mauriti, miles fortis,
O Thebaeae dux cohortis,
Christo nos concilia,

6b. Fac in pacis visione
Cum Thebaea legione
Nos frui laetitia.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. S. Pauli ad Laventum memb. 7. A. — Miss. ms. Mellicense 1037 saec. 14. B. — Miss. ms. Mellicense 991 saec. 15 C. — Miss. ms. Mellicense 987 saec. 15 D. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgens. saec. 16. (post Miss. Romam imp. Venetiis 1513) E. — Miss. ms. Praemonstratensium saec. 14. Clm. Monacens. 23265. F. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Clm. Monacens. 15719. G. — 4b, 1 violetum E; — Verolley. — 6b, 3 perfrui BCD.

306. De sancto Mauro.

1a. Verbum bonum personare
Non cessemus et clamare,
Sancte Maure, nos salvare
Tua possint merita.

1b. Per te, pater, emundata
Nostra corda sint ditata
Bonis, quibus fiat grata
Tibi laus exhibita.

2a. Ave, norma veritatis,
Ave, jubar sanctitatis,
Tuae virtus bonitatis
Nostra pellat vitia.

2b. Ave, decus confessorum,
Pastor verus monachorum,
Audi preces servulorum
Et laudum praeconia.

3a. Ave, serve Jesu Christi,
Pie semper huic servisti,
Tu nos in hoc mundo tristi
Tua rege gratia.

3b. Supplicamus, nos emenda,
Emendatos nos commenda
Deo nostro ad habenda
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060. Mel.: Verbum bonum et suave.

305. De sancto Mauro.

1a. Adest dies veneranda,
Dies melis decantanda
Et camoenis dulcibus;

1b. In hac die pulset caelos
Concordatum dulce melos
Vita, voce, moribus.

2a. Haec est dies semper grata
Patris Mauri consecrata
Dulci patrocinio,

2b. Plaudat ergo noster chorus,
Totus laetus et decorus
Concordi tripudio.

3a. Sanctus enim Dei Maurus,
Quem victorem mundi laurus
Coornat in specie,

3b. Deponendo carnis molem
Clarum sidus supra solem
Felix scandit hodie.

4a. Christus jubet nos videre,
Maurus vidit semper vere
Ab adolescentia.

4b. Dum cognovit malum, cavit
Et virtutes adamavit
Atque sprevit vitia.

5a. Puer enim duodennis.
Quo fit dies hic solennis,
Coepit Christum colere;

5b. Benedictus timens Deum
Nutrit atque docet eum
Recte semper vivere.

6a. Jubet Christus vigilare,
Vigilasti, pater Maure,
Cum ingenti studio;

6b. Raro somnum capiebas,
Stans vel sedens dormiebas
Indutus cilicio.

7a. Benedicti vivens more
Fame corpus et algore
Edomabas nimio.

7b. Nos orare Christus monet,
Hic. priusquam signum sonet.
Est in oratorio.

8a. De virtute in virtutem
Crescens Maurus domat cutem
Obedit spiritui;

8b. Deum amat et veretur,
Patri carus hinc habetur
Atque fratrum coetui.

9a. Ordinatus hic levita
Ut magister vivit ita,
Facit et miracula;

9b. Benedicto fit sodalis
Et adjutor nullus talis
Jam erit in saecula.

10a. Patris jussu Benedicti
Super aquas more Petri
Currens traxit Placidum,

10b. Sic qui fide non nutavit,
Super flumen ambulavit
Sicco pede liquidum.

11a. Caeco nato lumen praebet,
Grates reddit hic ut debet
Et Deum glorificat;

11b. Plures manus a languore
Benedicti sanat more,
Tres defunctos suscitat.

12a. Invocemus ergo Maurum,
Ut de lacu vitiorum
Pie nos eripiat;

12b. Curre, pater, et festina,
Ad te trahe, ne sentina
Barathri nos rapiat.

13a. Tibi pater assistentes
Semper serva congaudentes
· Tuo patrocinio.

13b. Ut post mortem in sanctorum
Mereamur electorum
Adjungi consortio.

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060.

306. De sancto Michaele.

1a. In conspectu angelorum
Trium choris concentorum
Mentis, manus, labiorum
Melos jungat congruum;

1b. Sanctus, sanctus, sanctus, ita
Sonet manus, vox et vita.
Nostrae laudi quod unita
Sit laus exercituum.

2a. Nos captivi Michaelem,
Nos confracti Gabrielem.
Nos infirmi Rafaelem
Vocamus ex nomine.

2b. In his illis damus votum.
Quibus velle Dei notum
Ad minores est promotum
Pro nostro munimine.

3a. Illis summe supplicemus,
Quos custodes hic habemus,
Ut ex hoste triumphemus
A sinistro latere.

3b. Nos nescimus vias morum
Neque causas meritorum,
Illi nobis magistrorum
Curam curant gerere.

4a. Cives urbis nos supernae,
Procurate nos fraterne,
Dum exspectant nos cavernae
Coelestis macerie.

4b. Cum nos simus vestrum latus,
Vester praesit principatus.
Ne nos premat incolatus
In valle miseriae.

Miss. ms. Ord. Teutonici saec. 14. Cod. Archivii Ordin. Vindobon. 171 A. — Grad. ms. S. Petri Salisburgens. a VII 20 saec. 14. B. — Miss. ms. Raigradense $\frac{D}{K}$ 1 β 5 anni 1453 C — Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. D. — Miss. ms. Olomucense anni 1330 Cod. bibl. publ. Olomucens. III 1 11. E. — Grad. ms. Graecense 36 saec. 14. F. — Mel.: Verbum bonum DF. — Str. 3a u. b fehlt F.

307. In Apparitione s. Michaelis.

1a. In superna regione
Vigent Dei visione
Beatorum agmina.

1b. Quae in trina legione
Sita poli mansione
Novem dant certamina.

2a. Nam beati Seraphini
Throni atque Cherubini
Stant in primo agmine.

2b. Orbem regunt Dominantes
Et Virtutes triumphantes
Potentum juvamine.

3a. Principantes, principatus
Mundum salvant et praelatus
Archos mira nuntiant.

3b. Imus ordo nobis datus
Custos est et assignatus,
Ut nostra discutiant.

4a. Cuncti vident matutina
Creatorem, vespertina
Luce, quod producitur;

4b. Velut sol et luna plena
Fulget ac stella serena,
Qui ad eos ducitur.

5a. Michaelem nostrae sortis,
Quis ut Deus, princeps fortis
Et draconem conterens,

5b. Dum submersit Pharaonem,
Sanctam cibat legionem
Coeli panem conferens.

6a. In Siponto demonstravit
Aedem vivam, quam dicavit
Tauri residentia,

6b. Sed in Roma effugavit
Pestem diram, quam fugavit
Ensis refulgentia.

7a. Tu es princeps animarum,
Reparator ruinarum,
Sed Raphael medela

7b. Curativa cuncti morbi,
Quae obvenit omni orbi
Ex prima parentela.

8a. Missus est a summo coeli
Anno nostri jubilaei
Gabriel ad virginem,

8b. Quam salutans ait ei:
Ave, tuae speciei
Reparans originem.

9a. A quo mox ut salutatur,
Verbo Dei fecundatur,
Ad montana properat;

9b. Nuntiavit Zachariae
Gabriel quoque Mariae,
Quod beatum generat.

10a. Michaelis, Gabrielis
Et precatu Raphaelis
Fac, virgo piissima,

10b. Ut repleti tuis donis
Perfruamur coeli bonis
Et vita potissima.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15. A. — Miss. Praedicatt. imp. Venetiis 1523. B. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

308. De sancta Monica.

1a. Augustini magni patris
Atque suae piae matris
Laudes et praeconia

1b. Decantemus venerantes
Et optata celebrantes
Hodie solemnia.

2a. Mater casta fide gnara,
Vita clara, Christo cara,
Haec beata Monica,

2b. De profano propagatum
Nunc jam parit suum natum
In fide catholica.

3a. Felix imber lacrimarum
Quo effulsit tam praeclarum
Lumen in ecclesia,

3b. Multo fletu seminavit,
Germen uber reportavit
Metens in laetitia.

4a. Plus accepit, quam petivit,
O quam miro tunc gestivit
Spiritus tripudio.

4b. Cernens natum fide ratum,
Sed et Christo jam sacratum
Tanto mentis studio.

5a. Haec egenis ministravit
Et in eis Christum pavit,
Mater dicta pauperum.

5b. Curam gerens infirmorum
Lavit, stravit et eorum
Tersit sordes vulnerum.

6a. O matrona gratiosa,
Quam transfigunt amorosa
Crucifixi stigmata,

6b. His accensa sic ploravit
Lacrimisque irrigavit
Pavimenti schemata.

7a. Pane coeli saturata
Stat a terris elevata
Cubiti distantia,

7b. Mente rapta exsultavit,
Volitemus, exclamavit,
Ad coeli fastigia.

8a. Eja mater et matrona,
Advocata et patrona
·Sis pro tuis filiis,

8b. Ut, dum carne exuemur,
Nato tuo sociemur
Paradisi gaudiis.

Grad. ms. Gasedonaanum saec. $^{15}/_{16}$. A. — Grad. ms. Lubicense saec. $^{15}/_{16}$. B. — Mel.: Majestati sacrosanctae.

309. De sancto Nicasio.

1a. Stola prima praemiati
Ad secundam confirmati
Sancti metunt in gloria

1b. Ad octavam transituri,
Demum plene recepturi.
Quae exspectant in praemia.

2a. Cum sedebit judicium,
Ad aeternum denarium
Vocatis operariis,

2b. Trahens ad terram retia
Collectaque vindemia
Foris ejectis impiis;

3a. Tunc cum veste nuptiali
Dote carnis immortali
Domum intrantes gloriae,

3b. Panem edent medullatum,
Vinum bibent defaecatum
Cum Joseph in meridie.

4a. In hoc ergo exsilio
Sic curramus in stadio
Festinantes ad bravium,

4b. Ut peracta militia
Consequamur in patria
Memoratum convivium.

Miss. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianens. 163. A. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. B. — 1b, 3 Quod exspectant in praemio AB gegen den Reim.

310. De sancto Nicasio.

1a. Martyris eximii,
Praesulis Nicasii
Pangatur victoria,

1b. Qui pro Christi nomine
Vicit in certamine,
Coronatur gloria.

2a. Hic Remorum pontifex,
Sanctitatis opifex,
Victor re et nomine,

2b. Vandalorum aciem,
Paganorum rabiem
Sedat fuso sanguine.

3a. Nam Dei judicio
Flammis atque gladio
Pessumdatur Gallia.

3b. Et vastatur regio,
Barbarorum legio
Remis petit moenia.

4a. Martyr Dei gentibus
Occurrit furentibus
Cum germana obviam,

4b. Pro salute patriae
Majestatis gloriae
Sponte se dat hostiam.

5a. Ferit hostis gladio,
Quem coelestis ultio
Poena punit impia;

5b. Lingua caeso capite
Versum complet, milite
Potito victoria.

6a. Vindex Eutropia,
Fratris palmae socia,
Plena Deo femina,

6b. Non virtute propria
Sed Dei potentia
Rapit hostis lumina.

7a. Dat patrem cum filio
Neci gentis legio
Gratam Deo victimam,

7b. Virgo fuso sanguine,
Certato certamine
Coelo reddit animam.

8a. Timent hostes, fugiunt,
Res urbis ejiciunt,
Victi petunt propria,

8b. Cum commissis ovibus
Peremptis tortoribus
Victor vitae gaudia.

9. Cujus Christus precibus
Nos piatos sordibus
Suis addat civibus.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101. B. — Prosar. ms. S. Amandi saec. 16. Cod. Valentianens. 99. C. — Mel. = Martyris egregii triumphos Vincentii. — 3b, 1 Devastatur C. — 5b, 3 Petito. AB. — 8b, 3 Victor petit C.

311. De sancto Nicolao.

1a. Nobis dies gloriosa
Refulsit, dum a poenosa
Nicolaus rapitur,

1b. Infans adhuc corpus terit,
Jejuniis Deum quaerit,
Sub praeceptis capitur.

2a. Cor succensum caritate,
Diffusumque pietate
Miseris exhibuit.

2b. Opus trium puellarum
Auri pondo sic nuptarum
Nefandum prohibuit.

3a. Limen templi ingreditur,
Vox de coelis mox auditur:
Hic est pastor ovium;

3b. Ad hanc vocem eligitur,
Nicolao injungitur
Pastoris officium.

4a. Ecce decus sacerdotum,
Pius pastor, qui se totum
Tradidit obsequio,

4b. Salus fuit naufragorum.
Liberator puerorum
Prudenti colloquio.

5a. Dato sedat ex frumento
Famem plebis in momento,
Plebs congaudet fidei.

5b. Liquor ejus tumba manat,
Caecos, surdos, claudos sanat
Superfusus olei.

6a. Voce clara te laudamus,
Pie pater, supplicamus,
Nos digneris visere;

6b. Educti de mundi faece
Mereamur tua prece
Semper tecum vivere.

Grad. ms. S. Agathae in terra Cuijk s. sign. anni 1409.

312. De sancto Nicolao.

1a. Laetabundus
Laudet Nicolaum chorus,
Alleluja.

1b. Jejunabat,
Dum esset cuneo thorus,
Res miranda.

2a. Cum praesul efficitur,
Mundo novus oritur
Sol de stella;

2b. Juvenes eripuit,
Dum Augustum monuit
Voce clara.

3a. Christi legem docuit
Et hanc ipse tenuit
Pari forma;

3b. Far plebi distribuit,
Sic a fame non fuit
Gens corrupta.

4a. Jam cum sanctis jubilat,
Multis signis rutilat
Valle nostra;

4b. Mactatus ab hospite
Mercator datur vitae
Carne sumpta.

5a. Per istum mirifice
Pars gentis Judaicae
Desinit et efferae
Esse caeca.

5b. Morbos sanat, fugiunt
Febres, surdi audiunt,
Adhuc aegri sentiunt
Haec praedicta.

6a. Da mundi prospera
Vitaeque munera,
Sic nec dametur
gens misera.

6b. Pater, accelera,
Ut nostra vulnera
Sanet, quem genuit
puerpera.

Antiph. ms. Confraternitatis S. Nicolai ad sprevarios saec. 15. Cod. Mazarin 464. (261). — 1a, 2 Nicolao. — 6b, 1 Mater, accelera durch Versehen des Rubrikator.

313. De sancto Nicolao.

1a. Sancte Nicolae,
Beate pontifex,
Nos ad portum trahe.
Quo summus opifex
Regnat perenniter.

1b. Tu bina feria
Jacens cunabulis
Servans jejunia,
Nos a periculis
Praeserva jugiter.

2a. Tu tres puellulas
Tuis divitiis
Fecisti sponsulas
Servans a vitiis
Et ab inopia.

2b. Tuque tres comites
Clausos in carcere
Sanos et sospites
Salvasti libere
Tua clementia.

3a. Tu navigantibus
Maris periculo
Periclitantibus
In adminiculo
Fuisti miserans.

3b. Mersum puerulum
In maris fluctibus
Suumque vasculum
Nautis videntibus
Fuisti liberans.

4a. Tribus juvenculis
A fero judice
Datis in vinculis
Et a carnifice
Coactis genua

4b. Utraque flectere
Flexisque genibus
Subvenit propere
Salvis corporibus
Humanitas tua.

5a. Tu in pontificis
Promotus culmine,
Choris angelicis
In coeli lumine
Deum laudantibus,

5b. Dedisti triticum
Plebi famelicae
Propter viaticum
Auctum non modice
Cunctis mirantibus.

6a. Ex tuo tumulo
Oleum defluit,
Quod a periculo
Morbidos eruit
Virtute supera.

6b. Per te, sanctissime,
Christus altissimus
Nos felicissime
Ducat altissimus
Ad .coeli sidera.

Antiph. ms. Confraternit. S. Nicolai ad sprevarios saec. 15. Cod. Mazarin. 464. (261). Mel.: Mittit ad virginem.

314. De sancto Oswaldo.

1a. Hac praeclara die festi
Plaudat omnis plebs coelesti
Fruens desiderio,

1b. Almo regi regum vota
Persolvendo mente tota
Laudes cum tripudio.

2a. Imperator triumphalis,
Cui nullus est aequalis.
Coeli sedens solio,

2b. Nos ut salvet a malignis,
Reges dedit, ut benignis
Pia sit protectio.

3a. Regit orbem rex coelorum
Regum sceptro terrenorum
Mundi maleficio,

3b. Inter quos regnando fidus
Rex Oswaldus velut sidus
Vitae nitet radio.

4a. Cujus larga dextra laeta
Dedit datque sine meta
Opes cum suffragio;

4b. Ille stans in fide Christi
Dissolutus carne tristi
Coronatur gaudio.

5a. Salvet nos hic sua prece,
Ut ab omni culpae faece
Mundemur et vitio,

5b. Ut post hujus finem vitae
Nobis dicat rex: Venite,
Salvans a supplicio.

Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15.

315. De sancto Ottone.

1a. Gratulare, sponsa Christi,
Quae per fidem genuisti
Virum tanti nominis.

1b. In quo pater gloriatur
Et virtutes operatur,
Gaude, mater nobilis.

2a. Vita cujus et doctrina
Quasi stella matutina
Lucet in perpetuum,

2b. Per te flagrat haec lucerna
Praebens iter ad superna,
Deus exercituum.

3a. Non in vase nec sub lecto
Constituta, sed in tecto
Praesul sparsit radios,

3b. Claritate rutilabat,
Veritate fulminabat
Terrens adversarium.

4a. Pastoralis dono curae
Dispensator fit mensurae
Tritici benevolus,

4b. Sacri verbi rudimentis
Pollet Pommeranae gentis
Doctor et apostolus.

5a. Auro fecit effulgere
Vasa templi, quae fuere
Vasa contumeliae,

5b. Dum convertit ab errore
Pommeranos et squalore
Gentilis perfidiae.

6a. Otto prudens et fidelis,
Dispensator qui in caelis
Certo gaudes titulo,

6b. Ubi fruens coelibatu
Nos absolvas a reatu
Mortis et periculo.

7a. Tandem morte dissolutus
Mole carnis est exutus,
Sic in regnum constitutus,
Sic coronam assecutus
Gloriae feliciter.

7b. Christe, fons dilectionis,
Qui probasti cor Ottonis,
Reple tuis tuos donis,
Repleamur ut in bonis
Domus tuae jugiter.

Miss. ms. Bambergense saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. sign. A. — Miss. ms. Bambergense saec. 15. Cod. Gottvicens. 1. B. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. C. — Miss. ms. Graecens 128. saec. 14. D. — Sequent. ms. Mellicense post Brev. Bambergens. imp. s. l. et a. E. — Str. 4b nach 5b BE.

316. De sancto Pancratio.

1a. Ad honorem summi Dei,
Fundamentum nostrae spei,
Jubilemus pariter,

1b. Qui charisma propinavit
Suis caris et donavit
Amorem hilariter.

2a. Huic puer dum obedit
Pancratius et accedit
Ad baptismi gratiam,

2b. Diocletianus laedi
Jubet et plumbatis caedi
Hunc ob ejus gloriam.

3a. Tortor arcens illi datur,
Horror valens hinc sequatur,
Ut credat daemoniis,

3b. Mox a Christo consolatur
Et in fide confortatur
Puer purus juvenis.

4a. Puer vinclis mancipatus,
Tribunali praesentatus,
Se commendat Domino,

4b. Judex furens decollari
Jubet hunc et feris dari
Pro Mariae filio.

5a. Tortor sacrum caput scidi
Promptus exstat, ut elidi
Vis vitalis valeat,

5b. Triumphavit hic in mundo,
Ut coelorum adeundo
Sanctitatem saliat.

6a. Angelorum consors astat,
Rex coelorum suum praestat
Solamen et manifestat
Ipsius miracula,

6b. Electorum merces datur
Et a Christo coronatur
Sanctus, inde ut tollatur
Ad aeterna gaudia.

7a. Salve martyr, o Pancrati,
Te laudamus non tenaci
Laude tantum sed veraci
Veneranda gloria;

7b. Et aeterno Deo patri
Nos commenda atque matri
Christi, ne nos os barathri
Voret cum miseria.

Grad. ms. Gerusense. D k 27. saec. 15. — Mel.: Salve mater salvatoris.

317. De sancto Paulo.

1a. Ave, sidus venerandum,
Sancte Paule, te laudandum
Surgat orbis concio,

1b. Te condigne celebrandum,
Tibi summe decantandum
Mens est et devotio.

2a. Urbs superna jucundetur,
Mundus totus illustretur
Novis cerimoniis,

2b. Noster chorus collaetetur,
Sancto Paulo gratuletur
Altis in praeconiis.

3a. Paulus vas praedestinatum,
Vas a Jesu nuncupatum,
Jesu plenum penitus.

3b. Vas a Jesu confirmatum,
Dona fundens charismatum
Terrae vivens coelitus.

4a. O quam mira dona Dei:
Firmamentum nostrae spei,
Donum et vocatio,

4b. Incrementum hoc fidei,
Purgamentum cordis rei,
Dei miseratio.

5a. En adoro, ut prostratus
Saulus jacet, ut sublatus
Spiritu in patria

5b. Paulus videt, arbitratus
Quae est nemo, hic purgatus
Coeli lustret atria.

6a. Hic quod vidit et gustavit,
Hoc de coelo propinavit
Sanctum evangelium,

6b. Verbo gentes illustravit
Judaeisque praedicavit
Jesum, Dei filium.

7a. Fame, siti contabescit,
Plus labore exardescit
Omnibus discipulis,

7b. Multis terris peragratis,
Verbis signis confirmatis,
Fide data populis.

8a. Romam venit consummandus,
Passione laureandus,
Sic currens ad stadium;

8b. Lac propinat caput caesum,
Lingua clamat Jesum, Jesum,
Jesus Pauli bravium.

9a. Tu qui summis es in thronis
Duodenis, passionis
Tuae jugi memoria

9b. Consolatos nos dignare,
Sancte Paule, collocare
In sanctorum gloria.

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477.

318. In Commemoratione s. Pauli.

1a. Omnes gentes plaudite,
Melos dulces canite
Paulo triumphante,

1b. Redit jam cum gloria
Transacta miseria
Coelo applaudente.

2a. Pape, quam mirificum
Dum sic apostolicum
Culmen exaltatur,

2b. Paulus dignus hodie
Inter claros gloriae
Cives elevatur.

3a. Intrat hoc palatium,
Contemplatur Dominum,
Excitat ad jubilum
Inspectores Dei;

3b. Stant clamantes vocibus,
Plaudentes concentibus,
Prosequentes laudibus
Tutorem fidei.

4a. Dum sic Paulus sublimatur,
Tunc Plautillae simul datur
Visio et pallium,

4b. Quem peremit cum furore,
Nero vivum cum stupore
Jam contemplatur Paulum.

5a. Transit Paulus ex hac luce,
Vivens Christo victa nece
Magno cum tripudio,

5b. O magnum Pauli meritum,
Omni laude dignissimum,
Recolendum gaudio.

6a. Hic est mitis atque fortis
Victor mortis
Dei pollens gratia,

6b. Qui labores et sudores
Ac dolores
Pertulit pro gloria.

7a. Advocat Jesus Paulum
Ad supernum solium,
Quia tam contrarios
Victos vel spontaneos
Stravit inimicos.

7b. Sedit in altissimis
Simul cum apostolis,
Gaudens ex praecordiis,
Contemplans ex intimis,
Omnes coeli choros.

8a. Paule, doctor veritatis,
Veni cum dulcedine
Et in regnum claritatis
Duc tuo precamine.

8b. Mane nobis tunc auditam
Fac dei clementiam,
Ad aeternam perduc vitam
Per divinam gratiam.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracovicns. s. sign. saec. 15. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. B. — 4b, 3 Jam fehlt B. — Mel. die der Himmelfahrtssequenz gleichen Anfangs.

319. In Conversione s. Pauli.

1a. Sator rerum
Sub dierum
Mundo natus clausula,

1b. Roriflua
Melliflua
Ortus ex virguncula.

2a. Lustra nactus ter gemina
Aeterna mundo semina
Seminare exiens,

2b. In animosos humiles,
In fortes legit debiles
Facto verbo muniens.

3a. Ergo ubi moritur,
Vitae coelo redditur,
Spiritus emittitur
Dei promens magnalia,

3b. Obvii lapidibus,
Ferro, flammis, crucibus,
Horis mundi omnibus
Christi clangunt praeconia.

4a. Juda in galaxia,
Pice septus Stygia,
In luce lucis nescius,

4b. Imbuit cor odio,
Manus armat gladio
Pro lege legi obvius,

5a. Quorum tranat praecordia,
Vatum haerens ad labia
Vatum furit in filios;

5b. Saulo committit gladium,
Deo gerat obsequium,
Pacis trucidet nuntios.

6a. O altam Dei gratiam,
Qua lupi contumaciam
Agni mutat humilitas;

6b. Saulum sternit correptio,
Paulum levat electio
Visaque firmat deitas.

7a. Hic, hic erat rhinoceros,
Qui furens ultra caeteros
In altum cornu extulit

7b. Cui virgo ecclesia
Exuta jam saevitia
Sinum quietis obtulit.

8a. Hic haec aqua fuerat,
Quae gelu torpuerat
Boreo stricta fremitu,

8b. Quae milleno fluvio
Fluit finis nescio
Dei liquata spiritu.

9a. Hic vir, hic est, quem nuditas,
Fames, aestus, algiditas
Christo probarunt vivere;

9b. Quem maria, quem vincula,
Quem flagra, quem ergastula
Nequierunt reprimere.

10a. Hic mundi per quadrivium
Christi spargens praeconium,
Evellens idolatriam,

10b. Neronis sub imperio
Tandem triumphans gladio
Natalem scandit patriam.

11a. Tanti patris praesentiae
Prosodiam laetitiae
Vox renovet ecclesiae
Terso omni nubilo,

11b. Ut stricto in examine
Ejus fulti juvamine
Requiei interminae
Perfruamur jubilo.

Clm. Monacens. 3525. saec. 12.

320. In Conversione s. Pauli.

1a. Salvatoris manus fortis,
Quae de tenebrarum portis
Lumen dat splendescere,

1b. Hoc in die vas squaloris
In vas templi et honoris
Nacta est convertere.

2a. Manu hac obstetricante,
Coluber qui fuit ante,
Fremens jam educitur,

2b. Currit Joseph velut ovis,
Lupus rapax modis novis
Pastum vitae sequitur.

3a. Ex Aegypto vocat prolem,
Nube tectum nudat solem
Sol aeterni luminis;

3b. Sic columba milvum ferit,
Caesus credit, credens quaerit
Voluntatem numinis.

4a. Syrus mundus fit lotura,
Squammae cadunt, fellis cura
Dum Thobias ungitur;

4b. Saul sedet cum prophetis
Et tyrannus cum athletis,
Dum Saulus convertitur.

5a. Laudes ergo decantemus,
Qui salutis spem habemus
Per exemplar gratiae,

5b. Ut per ejus interventum
Angelorum ad concentum
Nos ducat rex gloriae.

Miss. ms. Praed. Vindobonense s. sign. anni 1477.

321. In Conversione s. Pauli.

1a. Laetabundus decantet
Devotus coetus
Voce pia,

1b. Rex Christus mirifice
Convertit Paulum,
Res stupenda.

2a. Persecutor Domini
Perlustratus fulmine
Prosternitur,

2b. Privatusque lumine
A divino numine
Corripitur.

3a. Cur, ait, persequeris
Jesum, natum virginis
Mente fera?

3b. Quid me jubes facere,
Asserit tunc libere
Voce clara.

4a. Ad baptismum mittitur,
Ex lupo efficitur
Agnus mitis;

4b. Annanias quaeritur
Et fide instruitur
Vir insignis.

5a. Trina die rapitur
Et in coelum ducitur
Ac in Deum trahitur
Toto corde;

5b. Quae sensus non percipit
Sed nec lingua exprimit,
Illic miranda audit
Cum stupore.

6a. Felix apostole,
Paule, vir inclite,
Nobis succurre
apud Deum,

6b. Ut tecum felices
Simus et consortes
Cum coelestibus
in aeternum.

Grad. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. $^{15}/_{16}$. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523 B. — Mel.: Laetabundus. — Str. 1 unrichtig geteilt. — 2a, 2 Prolustratus A. — 3b, 1 asseret A.

322. In Conversione s. Pauli.

1. Laudes Christo

2a. Canamus colendo
Pauli solemnia,

2b. Quem Dominus tanta
ditavit gratia.

3a. Ut doctor gentium
ab omni vocetur ecclesia,

3b. Agnus de lupo, de
persecutore evangelista.

4a. Mutata sunt opera,
mutantur et nomina,
Paulus nominatur,
qui Saulus ante dictus
fuerat.

4b. Instigatus furia
dirum virus eftlabat,
strage dirissima
membra Christi saeviens
vexarat.

5a. Lux aetherea
quem circum-
fulgens visu privat,

5b. Spiritualem
Sed ei
intuitum donat.

6a. Minantem saevas
fidelibus poenas

6b. Sternit eum sed
ruentem elevat.

7a. Dejectum increpat,
increpans emendat,
fidei,
doctrinae commendat.
Defensorem ecclesiae
ordinat.

7b. Panduntur illi divina
secreta,
Audit quoque verba
in coelo mystica,
homini
ineffabilia.

8a. Quem prius
Synagoga educaverat,

8b. Postmodum
laetatur mater ecclesia.

9a. Mysteria,
quae noverat,
per totum iens orbem
praedicat,
Venit Romam verum
Deum annuntians.

9b. Nero resistit, qui
colebat idola,
Ense diro
illum necat,
mundo exemptum mittit
ad astra.

10a. Quo nos Deus miserando
perducat

10b. Adjutos prece Pauli
sancti. Amen.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. Mit Mel. — 7b, 5 quae homini sunt. — 8a, 1 sq. Synagoga prius.

323. In Conversione s. Pauli.

1a. Adest nobis dies laeta,
Quam praemonuit propheta
Haec praeponens mystica:

1b. Benjamin ut lupus rapax,
Mane praedam edet vorax,
Sero sparget spolia.

2a. Benjamin hic signat Paulum,
Sed ex ejus stirpe Saulum,
Quem convertit Dominus

2b. Ex Basan confusionis
In profundo vertens maris,
Quod commisit inscius.

3a. Pes intinctus in cruore
Sed coelesti lotus rore
Defert evangelia,

3b. Lingua canum hinc ab ipso
Laudes dat ubique Christo
Sequens ejus monita.

4a. Jesu bone, quam suavis
Semper es et ipsis pravis,
Quos mones revertere;

4b. Tu de coelis tamquam pari
Dignatus es Saulo fari,
Dum cogis resipere.

5a. Saule, Saule,
quare me persequeris?

5b. Quid in terris
membra mea conteris?

6a. In hoc verbo prostravisti,
Quem mutatum erexisti
Manifesta gratia;

6b. Atrox namque persecutor
Mitis factus praedicator
Fulsit in ecclesia.

7a. Quique contra tuos saevit,
Mundum post haec adimplevit
Fama tui nominis,

7b. Ipsum quoque per te factum
Docet esse ac redemptum
Unda tui sanguinis.

8a. Ei vita tu fuisti,
Quem et lucrum docuisti
Mori pro te optimum;

8b. Lucrum istud iter pronum
Nobis sit ad vitae domum
In qua semper gaudium.

Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17321. B.; beide mit Mel. — 7a, 1 Qui contra tuos AB. — 8b, 2 donum, welches auch der Reim fordert, AB.; da aber der Reim auch sonst nicht rein ist, wird domum zu lesen sein, welches der Sinn erheischt.

324. De s. Petro Coelestino.

1a. Petri vita laudabilis,
Sanctitate mirabilis,
Fulget in ecclesia

1b. His laudibus et jubilis
Colitur increabilis
Lux diffusa gratia.

2a. Petrus in petra nascitur
Petrus a petra dicitur
Christo, a quo electus;

2b. Petrus ex petra trahitur,
Vi gratiae contunditur
Et redditur perfectus.

3a. Petra Petrum digne texit
Qui papatum digne rexit
Justus in tantis thronis;

3b. Petra Christus hunc erexit,
Dignissime hunc evexit
Gradu perfectionis.

4a. Petrus hic constans et fortis
Usque ad exitum mortis
Non recusans laborem,

4b. Duris poenis et retortis
Et laboribus exortis
Jungens cordis ardorem.

5a. Jugis gravis inedia,
Continua jejunia
Admiranda rigoris,

5b. Vestis dura molestia
Et humilitas nimia
Materiam dant stuporis.

6a. In papatu semper idem
Sanctus, dignus post et pridem,
Quintus hic Coelestinus;

6b. Ipse Coelestinus quidem
Diu non rexit ibidem,
Coeli hic inquilinus.

7a. Si diligenter videris
Miracula, miraberis
Horum excellentiam.

7b. Ora pro nobis miseris,
Petre, petram cum superis
Nos trahi ad gloriam.

Miss. ms. Coelestin. Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 200.

325. De sancto Petro Coelestino.

1a. Os, lingua, mens, sensus vigor
In quolibet fidelium

1b. Plaudant nunc cessetque rigor,
Fastus ac omne vitium.

2a. Nam coelestes hierarchiae
Festa recolunt annua

2b. Nostri patris in hac die
Coelestini praecipua.

3a. De sinapis grano crevit
Arbor alta, pulchra fructu,

3b. Dum Coelestino replevit
Deus mundum plenum luctu.

4a. Hic non per ambitionem
Suam ad majorem statum,

4b. Sed per inspirationem
Sanctam habuit papatum.

5a. O quam praeclara merita,
Per quae fuit Coelestinus,

5b. Dei servus, magnus ita
Nec ob hoc humilis minus.

6a. Hic nempe mundi gaudia,
Quibus potuisset uti,

6b. Auctus papatus gloria
Calcavit ut faeces luti.

7a. Mundialis vanitas,
Crudelitas et falsitas
Istud non promeruit.

7b. Immo morum probitas,
Humilitas ac veritas,
Quibus ipse claruit.

8a. Pietas humilium
Sublimium
Terrestrium
Pompas solet sternere,

8b. Nam modus similium
Consortium
Discordium
Nunquam vellet quaerere.

9a. Ea propter monachatus
Sibi status
Fuit gratus,
In quo diu vixerat

9b. Plusquam dignitas papatus,
Quem paratus
Non artatus
Sponte resignaverat.

10a. Cappa vilis
Facta pilis,
Non subtilis
Purpureus habitus,

10b. Lympha bibi,
Rudes cibi
Certe sibi
Placuerunt penitus.

11a. Hujus prece sedula
Per saecula
Miracula
Deus multa monstravit;

11b. Hujus atque regula
Ceu ferula
Piacula
De pluribus sedavit.

12a. Hinc patrem pium rogemus,
Ut sic stemus,
Dum manemus
In hac valle misera,

12b. Quod a peccatorum nece
Simus mundi
Postque mundi
Finem supra sidera.

Prosar. ms. Coelestin. ad Stae Mariae Parisius saec. 14/15. Cod. Mazarin. 447. (757). — Mel.: Mane prima sabbati, aber mit vielen Abweichungen, wie schon das Versmafs nahelegt. In 1 a u. b fehlt z. B. die dritte Zeile der Mel.

326. In s. Petri ad vincula.

1. Alle — nostra pangant
organa — luja.

2a. Clara dies, qua
soluta sunt vincula

2b. Instat nunc qua
Petri summi ferrea.

3a. Herodis fraude
servatur subdola
neci post azima,

3b. In qua Judaea
ejus nece plaudat
mente belluina.

4a. Specu clauditur
obscuro, cui confert
Christi nunc gratia

4b. Summa lumina
ecclesiastica
prece jam petita.

5a. Omnia
qui fugat nubila,
angelus
illi adstat, famina
dicens ita voce pia:

5b. Dubia
posita somnia,
Petre, jam
surgens da solamina
tuis sed salutifera.

6a. Exsultat denique,
quod divina
reserat
virtus clausa
caeca limina.

6b. Clementia, dicens,
nunc divina
quieta
misit coelo
mihi numina.

7a. Petre sancte,
laus decet quem summa,
nostram sume,
nunc camoenam,

7b. Angelorum
vocibus quo nostra
vox jungatur
per saecula.

8a. Et duc per pascua
amoena ad regna
florigera
nos tua gratia,

8b. Nostrorum ac solve
criminum vincula,
simus plebs ut
rite deicola.

9a. Curia nitens
in polica,

9b. Sacrum semper canens
Alleluja,

10a. Cuncta impetra
commoda,
desint et nociva,
adsint tempora
siderea per saecla.

10b. Esto praepotens
galea,
murus et lorica
contra jacula
inferorum perfida.

11a. Annuat
solus qui cuncta
pulchre gubernat.

11b. Cui laus
sit et gloria
semper aeterna.

Trop. ms. Floriacense saec. 11. Cod. Parisicus. Nouv. acq. 1177. — 2b, 1 quia. — 4a, 2 qui confert. — 6a, 4 clusa.

327. In s. Petri ad vincula.

1a. Pollet alma
haec dies
cosmi per climata

1b. Petri boans
praeclua
magni solemnia.

2a. Quem carceris captum
trusit ima
Herodis dura saevitia

2b. Et calibe nexum
tradit arta
nefandorum sub custodia.

3a. Ast nocte intempesta
sede fulgens ab aetherea

3b. Ceu lampas vibrans adstat
angelus luce siderea.

4a. Affatur Petrum ita:
cito propera
te praecingens
caligis coapta;
tunc cadunt vincula,
claustrea rutilant abdita.

4b. Nec mora, Petrus alta
credens monita,
terga ducis
prosequens praevia,
exemptus a dira
saevi regis est custodia.

5a. Tunc Petrus ovans jubilat,
Christo referens odas
ac creatori praemaximas.

5b. Cohors et apostolica
applaudebat per tanta
rehibita sibi gaudia.

6a. Ac nos
pangamus laudum carmina
in hac die Christo celebria,

cum revisit pastor ovilia
per Christum redempta
ejus nutu sibi tradita.

6b. Te nunc,
princeps alme, voce clara
deposcimus, nos clemens protegas,

commoda cuncta libens tribuas,
noxia propellas
et aeterna dona conferas.

7a. Ac potestate
tibi coelitus attributa

7b. Nostrorum solve
potenter nexorum vincula.

8. Conferens nobis gaudia
sempiterna.

Trop. ms. Floriacense saec. 11. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 1177. 3a, 1 noctis intempesta. — 4a, 5 nunc cadunt. — 5b, 3 redibita mit vier Neumen.

328. De sancto Procopio.

1a. Plaudant chori monachorum
Et laetentur fratres, quorum
Pater est Procopius.

1b. Coetus quoque clericorum
Melodiae dulcem chorum
Huic perstrepent saepius.

2a. Qui de gente Bohemorum
Natus velut sidus morum
Venustate claruit,

2b. In salutem plurimorum
Sospitatem infirmorum
Dans pius apparuit.

3a. Novae legis novus lator,
Gentis nativae zelator,
Novus doctor litteris,

3b. Docet non ut simulator
Sed activus contemplator
Dans exemplum posteris.

4a. Mundi namque flore spreto
Regulari sub decreto
Sese sponte vinciens,

4b. In deserti mansit freto,
Cujus loci de secreto
Daemones ejiciens.

5a. Ibi tandem fabricavit
Templum fratrumque locavit
Devotum collegium,

5b. Quibus prophetans precavit,
Dum pellendos indicavit
Ducis per fastigium.

6a. Sed quos pellendos praedixit,
His breve tempus praefixit,
Quo sufferrent modicum;

6b. Nam quos foverat, dum vixit,
Pro his mortuus conflixit
Adversus Theutunicum.

7a. Hinc tyrannus effugatur
Et edicto promulgatur,
Ut insontes redeant.

7b. Vir sanctus mirificatur,
Praestans quodcunque rogatur,
Quo fideles gaudeant.

8a. Caecis visum, claudis gressum
Reparavit et oppressum
Lapidum congerie,

8b. Acro daemone possessum
Liberavit et confessum
Paricidam carie.

9a. Idem dum interpellatur,
Fluens amnis congelatur
In aestatis tempore,

9b. Orbus videt et caecatur,
Quia non plene precatur
Pro salutis opere.

10a. Hinc rogamus te, patrone,
Miseros audire prone,
Qui tot signis radias,

10b. A vindictae nos mucrone
Salvans coelesti coronae
Conformari facias.

Miss. ms. Altovadense LXXVI. saec. 15. A. — Miss. ms. Altovadense 119. saec. 15. B. — Miss. ms. Pragense XIV B 17. saec. 15. C. — Miss. ms. Pragause XIV A 3. saec. 15. D. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 87. saec. 14. E. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. F. — 1b, 3 frequentant A; frequantent D; frequentet F. — 2b, 2 Sospitates B. — 6b, 2 mortuis A. — 6b, 3 adversus inimicum D. — 7b, 1 sanctus praestolatur D. — 7b, 2 Praestans fehlt D. — 9a, 1 Interdum A.

329. De sancto Procopio.

1a. Gratuletur noster chorus
Sitque concors et sonorus
Deum collaudans pium,

1b. Qui hac die laureatum
In coelestibus beatum
Locavit Procopium.

2a. Hic a mundi vanitate
Dei tactus pietate
Se subtraxit propere,

2b. Eremumque mox ingressus
Desudavit indefessus
In salutis opere.

3a. Inde daemones ejecit,
Quos abire longe fecit
In virtute numinis;

3b. Mente Deo adhaerebat,
Sanctitate resplendebat
Dono veri luminis.

4a. Cursu vitae consummato
Bravio gaudet beato
In coelesti regia,

4b. Claudis gressus reparatur
Caecis visus restauratur
Ejus per suffragia.

5a. Gregem tuum te laudantem
In exsilio morantem,
Alme pater, respice,

5b. Apud Deum obtinendo,
Ut nos pie assumendo
Turbae jungat coelicae.

Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Musaei Bohemici A. — Miss. ms. Raigradense $\frac{D}{k}$ I β 5. anni 1453. B. — Miss. ms. Pragense I D 33. saec. 15. C. — Miss. ms. S. Crucis 139. saec. 15. D. — Mel.: Illibata mente sana. A.

330. De sancta Pusinna.

1a. Sponsa Christi, o Pusinna,
Jugi laude semper digna.
Regi regum nos assigna
Precum beneficio;

1b. Ne maligni vis maligna
Nos conturbet, o benigna.
Nos tuere, nos consigna
Sacro patrocinio.

2a. Pia mater et patrona,
Pia prece fias prona,
Ut rex, virginum corona,
Nobis sit propitius.

2b. Jesu bone, Jesu pie,
Tibi sonent melodiae,
Quas in hac solemni die
Canimus solemnius.

3a. Sit vox laeta, mens devota,
Utriusque sexus tota
Fiant tibi, Christe, nota
Virginis per merita.

3b. Audi congregationem
Et da consolationem,
Ut per gratulationem
Inclinemus capita.

Miss. ms. Herfordiense saec. 15. Cod. Berolinens. Fol. 443. Mel. natürl.: Verbum bonum.

331. De sancto Quirino.

1a. Laus jucunda Christo detur
Et Quirinus commendetur
Cum Balbina filia.

1b. Cujus strumam dum curavit.
Alexander declaravit
Christi mirabilia.

2a. Per quod signum baptizantur
Et in fide roborantur
Paganorum milia,

2b. Pater gaudens lacrimatur
Et a papa baptizatur
Una cum familia.

3a. Quem princeps Aurelianus
Trucidavit, vir insanus.
Promptus ad flagitia;

3b. Lingua, manus, pedes ei
Amputantur, equlei
Patitur supplicia.

4a. Post tormenta decollatur
Et a Christo declaratur
Martyris potentia.

4b. Aegris opem dat coelestem,
Dum fistulae fugat pestem
Et cuncta nocentia.

5a. Te precetur martyr iste,
Per quem tanta facis, Christe,
Fatenter miracula.

5b. Ut felici secum vita
Fruamur per infinita
Saeculorum saecula.

Miss. ms. Novesiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12 063.

332. De sancto Quirino.

1a. Concordi jubilo cordis
et oris
jubilemus Domino,
ejus et athletae
Quirino.

1b. Romanorum qui stemmate
regio
procreatus unice
pietatis floret
germine.

2a. O vitis verae palmitem,
spiritus septiformis
plenum gratia,
delectabili germine,
caritatis
fructu floridum.

2b. O regis summi militem,
stigmatum passionis
Christi bajulum,
innocentia candidum,
rubicundum,
fructu floridum.

3a. Dum mundi principe
contrito ab Hai
civitate est adeptus
trophaeum,
exaltavit clipeum
verus Josue.

3b. Hinc armis fidei
munitus vere
pretiosus agonista
Quirinus
Salomonis lectulum
ambit floridum.

4a. Caesaris ambidexter
fasces contemnit
nec minis
aut blandimentis victus
inimicum fidei,
tyrannum
contrivit Claudium.

4b. Denique jugulatus
noctu supernae
potitur
haereditate lucis,
haeres quidem Domini,
cohaeres
aeterni filii.

5a. Israel adjuratus
transtulit secum ossa
salvatoris typici
patrociniis
ejus volens perfrui.

5b. Principes Noricorum
celebrem hunc athletam
Roma digne transferunt,
pium Norico
quem patronum conferunt.

6a. Ejus isthinc tumulus
signis variis
floret et miraculis,
nam omnis
ibi languor pellitur.

6b. Caeci, muti, debiles,
energumeni,
surdi, paralytici,
leprosi
inde sani redeunt.

7a. Laus ergo celebris
pro tanti gloria
martyris nunc personet
ab ore
universi populi.

7b. Laus Christo debita,
qui sui martyris
merita magnifice
declarans
aegris mire subvenit.

8. Laus trinitati perenni
sit in aeternum.

Miss. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacens. 19560. A. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 4002. B. — Grad. ms. Mosburgense anni 1360. Cm. Univers. Monacens. 157. C. — 5a, 2 ab hyn (ab hin) civitatis AB. Vgl. Josue 8, 26 ff.

333. De sancto Rocho.

1a. Jubilando clerus totus
Deo psallat jam devotus,

1b. Dum laudatur non ignotus
Rochus, pestis dulcis potus.

2a. Pessulanum famat montem,
Medicorum clamat fontem,

2b. Hic produxit mons insontem,
Miserorum Rochum pontem.

3a. Regis natus hic Johannis
Et tenellus adhuc annis

3b. A vitiis fit immunis,
Vitae signa dat in cunis.

4a. Cruce Rochus praesignatur,
Nicolaum imitatur,

4b. Lacte raro nam potatur,
Infans Deo famulatur.

5a. Parentibus jam orbatus
Procellosus mundi flatus

5b. Rochus sprevit, pauper status
Ejus bonis est dicatus.

6a. Italiam peragrando,
Hos et illos nunc sanando,

6b. Pestem fugat vitam dando
Nec terretur visitando.

7a. Pestis tenet Placentiam,
Rochi propter praesentiam
Cessat, cunctis amentiam
Tollit Rochus dans veniam.

7b. Rochum tandem rapit pestis,
Efficitur febris testis,
Ejicitur a scelestis,
Cura sanat hunc coelestis.

8a. Canis Rocho portat panem,
Admiratur Rochus canem,
Nubes fontis fluit amnem,
Silva rigat hic immanem.

8b. Vitam Rochus exhalavit
In carcere, quem intravit,
Per quem durum exclamavit
Mater regis et ploravit.

9a. Corde, verbo, mente, voce
Te precamur, sancte Roche,

9b. Nos infirmos jam agnosce
Et salutis dona posce.

10a. Dona nobis, pater, vitam
Tuque fili, verus Titan,

10b. Tu spiritus compositam
Trinitatem per unitam.

Miss. ms. S. Maturini Parisiens. anni 1510. Cod. Mazarin. 430 (233). A. — Grad. ms. Confratern. S. Sebastiani saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 204. B. — Miss. Pictavense imp. Parisiis 1541 C. — 2b, 1 in fontem A. — 3a, 2 In tenellis C. — 5a, 1 hic orbatus B. — 8a, 2 Rochus panem A. — 10a, 2 vere B: titam A.

334. De sancto Sebastiano.

1. Nobile preconium
Pulset aures omnium
Celebri memoria.

2a. Laeta Sebastianum,
Civem Mediolanum,
Personet melodia,

2b. Claro natus germine,
Sed fidei semine
Clarior et gratia.

3a. Militis honoribus
Rutilat et moribus
Sacris ab infantia.

3b. Sub terrena chlamyde
Mentes, quae sunt pavidae,
Roborat constantia.

4a. Sanctitatis radio
Fulsit hic in stadio,
Caesaris in curia
Militiae gloria.

4b. Sed tuus erat, Christe,
Miles in armis iste
Ferens testimonia
Probitatis omnia.

5a. Per hunc fulta
Fide multa
Zoe credit
Et hinc redit
Dulcis eloquentia,

5b. Salus patet,
Morbus latet,
Fides crescit
Et decrescit
Gentilis perfidia.

6a. Tunc nudatur miles fortis,
Quem ministri trahunt mortis
Ad dira supplicia,

6b. Illum jubet sagittari,
Telis corpus agitari
Tyranni dementia.

7a. Tandem reste colligatus,
Multa caede fatigatus
Crebro quoque fustigatus
Consecratur hostia.

7b. Vim dat Deus huic ingentem,
Pestes fugat, servat gentem,
Corpus mundat atque mentem
Reficit laetitia.

8a. Vir virtutis,
Da salutis
Iter tutum,
Per virtutum
Ire gressus,
Da recessus
Ad coeli palatia.

8b. Ut ad Christum
Coetum istum,
Vitae fontem,
Per te pontem
Fusa prece,
Tersa faece
Christi leves gratia.

9. Hoc det sapientia,
Quae gubernat entia;
Amen dicant omnia.

Miss. ms. S. Stephani Divionensis saec. 15. Cod. Parisiens. 879.

335. De sancto Sebastiano.

1a. Athleta Sebastianus,
Accola Mediolanus,
Vir christianissimus,

1b. Justus judex, consul gnarus,
Fide verax, ut sol clarus
Honestate moribus.

2a. Sedule hic ministravit,
Sub chlamyde animavit
Vacillantes martyres.

2b. Ne paternos canos cernant,
Ut maternas mammas spernant,
Blandientes conjuges.

3a. Miles sanctus praedicavit,
Fauces Zoe reformavit
Assistente angelo,

3b. Nicostratum fide stravit,
Tarquilinum baptizavit
Admirante populo.

4a. Confringens mathesim
sanat Chromatium,
Non timens clibanum
vertit Tiburtium.

4b. His millenarium
tetracentenarium
Jungit miraculum
Christum credentium.

5a. Stolam quaerit supernorum,
Aulam linquit imperatorum,
Balistis subigitur;

5b. Stolam pellit terrenorum,
Instar pellis hericiorum
Sagittis transfigitur.

6a. Qui his aculeis
Subvenis Italis,
Piis suffragiis
Adsis vernaculis,
Martyr egregie.

6b. Praesis obsequiis,
Prosis remediis,
Obsis insidiis,
Ne his sit famulis
Mors epidemiae.

7a. Sic constrictus,
Sic afflictus,
Scissus, fissus
Ut amictus,
Quasi flos emarcuit.

7b. Sic relictus
Sed invictus
Ad conflictus,
Ne sit fictus,
Principes redarguit.

8a. Admirantes
Indignantur,
Sagittantes
Increpantur,
Timorem incutiunt.

8b. Fustigantes
Incitantur,
Verberantes
Cruciantur,
Spiritum excutiunt.

9a. Sed dum corpus honorari
Timent, volunt occultari,
Sed ut possint aduncari,
Latrinae immittitur.

9b. Ut cum tempus revelari
Adsit, possit tumulari,
Quo possimus adjuvari,
Lucinae committitur.

10a. Indagator divinorum,
Propagator praeceptorum,
Uti liber salvandorum
Nomen tuum, sic tuorum
Adscripta retineat.

10b. Reformator infirmorum,
Conservator sis sanorum,
Frui pace da coelorum
Gregem istum, infernorum
Tormenta ne timeat.

Miss. ms. S. Victoris Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. 14448. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisiens. 10508. „Cest liure appartient a la confrarie des tonneliers fondes en la chapelle Sainct bon a paris.“ Mit Mel. B. — 2b, 3 Blandiantes et conjuges AB. — 3a, 1 Miles sancte B. — 4a, 1 Cfr. Acta SS. Jan. II, 638. — 5a, 1 superorum B. — 7a, 3 l. pictus?

336. De sancto Sebastiano.

1a. Diem agat celebrum
Pretiosum martyrem
Recolens ecclesia,

1b. Consortem archangeli,
Parem habent angeli,
Civem coeli curia.

2a. Pulvis pigmentarius
Et odor suavissimus,
Hostia pacifica,

2b. Ad dextram in candelabro
Scyphus est cum calamo,
Lilium cum sphaerula.

3a. Gradatim provehitur,
Ad mensam statuitur,
Propositionis,

3b. Praeinstructus laticem
De Marah calicem
Bibens passionis.

4a. Gladius carnificis
Terret interasilis,
Allicit corona,

4b. Et Marco perennia,
Marcellino paria
Pollicetur dona.

5a. Quos spe vitae decertantes,
Sed timore fluctuantes
Tot inter pericula

5b. Monet, ne deficiant,
Siquidem recipiant
A Domino duplicia.

6a. Zoe uxor Nicostrati
Cum eis, qui sunt plantati
In electa vinea,

6b. Fide plena, spe firmata,
Sanitati restaurata
Vocis solvit organa.

7a. Sic excurso stadio
Sebastianus bravio
Potitur certaminum,

7b. Telis expositus,
Consumatus fustibus
Coelo reddit spiritum.

8. Hujus intercessio
Nos commendet Domino
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. S. Pauli ad Laventum memb. 7. A. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 24002. B. — Miss. ms. Sarisberiense saec. 15. Clm. Monacens. 15719. C. — Miss. ms. Monacense 23045 anni 1485 D. — Grad. ms. Palat. Vindob. 3787. saec. 15. F. — Grad. ms. Monacense 23054 saec. 15. F.

„Missa de sancto Sebastiano prout legitur Romae in ejusdem monasterio." C. — 2 b, 3 Lilium in sphaerula E. — 4 a, b intransibilis E. — 4 b, 2 Marcelliano AD. — 5 a, 1 certantes E. — Str. 8 fehlt A. — Die Zeilen schwanken zwischen 6 und 8 Silben.

337. De sancto Severino.

1a. Via, vita, veritas,
Tibi sancta trinitas,
Honor, virtus, gloria.

1b. Via, quae fidelium
Terminat exsilium
In coelesti patria.

2a. Hanc obstrusam Agrippinae
Pandis, alme Severine,
Lux ab Aquitania,

2b. Dum per falcem doxae sanae
Saevae pestis Arrianae
Resecas zizania.

3a. Factus praesul tam sublimis
Par humilibus et imis
Sequeris humilia,

3b. Mox egenis et non tibi
Tui juris vis adscribi
Cuncta temporalia.

4a. Coeli choros audit iste,
Dum Martinum tua, Christe,
Ferunt ad palatia,

4b. Et levitam prece purgat,
Ut ad melos istud surgat
Ejus audientia.

5a. Mente carpit eremita,
Suum fungi parem ita
Rerum opulentia;

5b. Angelus, dux ejus, ait,
Vas, quod habes, plus te trahit
Quam haec virum copia.

6a. Burdigalensibus
Lux alma remeat,
Ut de virtutibus
Alumni gaudeat
Tota provincia.

6b. Spirat miracula
Sanctus post transitum.
Gothorum jacula
Frangit et fremitum
Confundens fortia.

7a. Dum suo fruitur
Alumno Gallia,
Trina conficitur
Fame Colonia,
Nec rus imbuitur
Rore nec pluvia.

7b. Cum gregi redeunt
Patris reliquiae,
Cum patre subeunt
Rores et pluviae
Fructusque revehunt
Tunc dona copiae.

8a. Sancte pater Severine,
Majestati fer divinae
Preces pro familia,

8b. Ut mundati suo rore
Vitiorum a squalore
Fecundemur gratia.

Grad. ms. Margarethae Scheiffart de Merode. saec. 15. Cod. Musaei Hungarici 259. — 7 b. 5 sq. revehuntur dona.

338. De sancto Stanislao.

1a. Laeta mundus,
Exultans te laude laudet,
Stanislae.

1b. Qui jucundus
Fulgenti tibi congaudet,
Stanislae.

2a. Virtutum insignia
Fulgens et prosapia,
Stanislae,

2b. Praesulis fastigia
Scandis ad sublimia,
Stanislae.

3a. Boleslai aspera
Regis damnas opera,
Stanislae,

3b. Quem profanas effera
Profanum ob scelera,
Stanislae.

4a. Hinc fervet trux odio,
Inde stridens gladio,
Stanislae,

4b. Cadis caesus impio
Almae matris gremio,
Stanislae.

5a. Alitibus et feris
Membris sparsis superis
Aquilis protegeris,
Stanislae,

5b. Luce fretus aetheris
Integer redigeris,
Dum in tumba conderis,
Stanislae.

6a. Qui scandens aethera,
Fulgens innumera
Luce virtutis,
Stanislae.

6b. Perlustres nos vera
Luce, des prospera
Quaeque salutis,
Stanislae.

Miss. ms. S. Floriani XI. 389 saec. 14. A. — Miss. ms. Floriani XI. 391 saec. 14. B. — Miss. ms. S. Floriani XI. 393 saec. 14. C. — Miss. ms. S. Floriani XI 395 saec. 14. D. — Mel. selbstredend: Laetabundus. — 5a, 2 Membris sparsus AB.

339. De sancto Stanislao.

1a. Jesu Christe, rex superne,
Deo patri coaeterne,
Tibi laus et gloria.

1b. Cujus ope martyr clemens
Stanislaus hostem premens
Triumphat victoria.

2a. Vir aetate jam maturus,
Sui gregis fortis murus
In incursu hostium,

2b. Poenas mortis parvipendit,
Sponsam Christi dum defendit
Ingressus per ostium.

3a. Clamans docet obsecrando
Et interdum objurgando
Christianum populum,

3b. Ut virtutes imitentur,
A delictis emundentur
Mundans cordis oculum.

4a. Boleslaus, rex scelestus,
Furens fremit, fit infestus
Argutus pro vitio.

4b. Quantumcunque trux minetur
Tiro Dei nec terretur
Minis nec supplicio.

5a. Pro reatu labis nequam
In tyrannum praesul aequam
Dirigit sententiam.

5b. Tortor raptus in furorem
Suam juris in cultorem
Exercet dementiam.

6a. Ad altare vir coelestis
Cadit caesus a scelestis
Mille lacer frustulis,

6b. Corrodendus feris datus
Sed tutelis defensatus
Aquilarum sedulis.

7a. Sparsos artus jubar caeli
Prodit coetui fideli
Nec perit articulus,

7b. Sacrum corpus integratur,
Dum pars parti foederatur,
Videns stupet populus.

8a. Sepulturae commendatus
Innumeris vir beatus
Corruscat miraculis,

8b. Signa signis cummulantur,
Mancis manus, pedes dantur
Claudis, visus oculis.

9a. Ut res gesta protestatur,
Verax nomen eliquatur
A polo Poloniae;

9b. Poli civis fit Polonus,
Praesul pius et patronus.
Immo pater patriae.

10a. Quem precemur corde mundo,
Donec sumus in hoc mundo,
Ne mergamur in profundo
Pro delicti macula;

10b. Sed ocultis emundati
Prima stola trabeati
Cum beatis jam beati
Vivamus per saecula.

Miss. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. bibl. Jagellonicae 1463. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviense 4. saec. 15/16 B. — Miss. ms. Capit. Cracoviense 5. saec. 15. C. — Miss. ms. Capit. Cracoviense 2 anni 1438 D.

340. De sancto Stanislao.

1a. Psallat poli hierarchia
Nova meli harmonia
Festa promens inclita,

1b. Recta nostri symphonia
Chori pangat eximia
Stanislai merita.

2a. Amplexatur studia
Puer literaria,
Nobili ex genere

2b. Natus, hinc insignia
Nactus praesularia
Multo claret opere.

3a. Decens cultor sacrae legis,
Fortis gregi datur aegis
Praefulgens virtutibus,

3b. Oves cujus artat gregis
Boleslai furor regis
Ruptis thori legibus.

4a. Tortor uberibus
Matrum ferocibus
Annexis catulis

4b. Afferat artibus
Necem insontibus
Intentam parvulis.

5a. A sancto trux corrigitur
Patre ex hoc flagitio,
Verbum verbo conseritur,
Abjicitur correctio.

5b. Diro gregis plus uritur
Pastor justi excidio,
Per quem rebellis plectitur
Spirituali gladio.

6a. Ad hanc frendens saevius
Tortor fervet odio,
Sanctum sternit acrius
Matris sacrae gremio.

6b. Membratim praesul pius
Fuit caesus impio,
Pastor sic egregius
Gregis cadit medio.

7a. Partitus spargitur
Feris et avibus
Sed non contingitur
Ullis a morsibus
Protectus aquilis.

7b. Igneis cingitur
Poli lampadibus,
Multis fidelibus
Integer cernitur
Martyr mirabilis.

8a. Omni parte integratur
Corpus, tumba dum locatur,
Verna Christi hic insignis
Petit dignis pollens signis
Jugis regis regia.

8b. Dos salutis multa datur,
Aeger quisquis reparatur,
Hunc ad usum instituti
Caeci, claudi, surdi, muti
Illustrant Cracoviam.

9a. O felix Cracovia,
Cujus late gloria
Splendoris, quam incliti

9b. Nites per insignia
Signis natalitia
Nati sacris praediti.

10a. Athletarum fulgentibus
Felicium cohortibus,
Quo regnat sine macula,
Agni nitet vernula.

10b. Tuis pastor precatibus
Felices cum felicibus
Pace fruamur sedula
In saeculorum saecula.

Miss. ms. Lucense anni 1483. Cod. Strahoviens. s. sign. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438. B. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 1 saec. 15. C. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. D. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 8. E. — 2a, 3 Nobili fehlt A. — 4a, 1 verberibus A. — 4a, 2 matris A. — 4b, 1 Efferat AE. — 5b, 1 utitur A.

341. De sancto Stanislao.

1a. Sit jucundus totus mundus
Voce votis sedulis,

1b. Coelum gaudet et collaudet
Festum tanti praesulis.

2a. Jam in caelis ut fidelis
Coeli fretus epulis,

2b. Qui ignotis et aegrotis
Opem tulit populis.

3a. Gentem multam et incultam
Verbo vitae coluit,

3b. Cujus regem contra legem
Facientem arguit.

4a. Qui amaram juxta aram
Necem parans praesuli

4b. Hunc divisit, membra misit
Circumquaque projici.

5a. Ossa tecta sunt collecta
Aquilarum studio,
Intimata luce data
Excelsorum radio.

5b. Fulgent signa laude digna
Praeclaro prodigio,
Consolatur, qui gravatur
Ipsius suffragio.

6a. Martyr Christi, qui fuisti
Pius pastor ovium,

6b. Nos intende et defende
Ab insultu hostium.

7a. Stanislae mentis pravae
Procul pelle saniem,

7b. Nos conducas, tecum ducas
Ad aeternam requiem.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 50. saec. 15. — Mel. jedenfalls: O beata beatorum.

342. De sancto Stanislao.

1a. Omnis odas nunc melodas
Pangat cum Alleluja,

1b. Omni laude digna, plaude,
Civitas Cracovia,

2a. Ponens planctum, quia sanctum
Meruisti gignere

2b. Et nutrire, quem dux irae
Morti fecit tradere,

3a. Fraudulentus, truculentus
Boleslaus carnifex,

3b. Qui in caelis jam, fidelis
Stanislaus pontifex.

4a. Nunc insultat et exultat
Cum sanctis perenniter,

4b. Celebremus ut debemus
Digne ac solemniter.

5a. Cujus vota modo tota
Suscepit ecclesia,
In Europa fiant nota
Africa et Asia.

5b. Propter sua mare totum
Plaudat natalitia,
Vexit sanctum quod ad polum
Cum sua victoria.

6a. Ergo, praesul gloriose,
Tu pro nobis supplica,

6b. Stanislae pretiose,
Hunc, qui est spes unica.

7a. Ut cor praestet nobis mite
Nostra laxans debita

7b. Et ad regnum ducat vitae
Propter tua merita.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 5 saec. 15. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 4 saec. 15 ex B. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438 C. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 1 anni 1490. D. — 1a, 1 Omnes ABD. — 1a, 2 Pangamus ABD. — 2b, 1 Et nutrieem ABD. — 5a, 2 Suscipiat ABD. — 5b, 3 Vixit sanctus et ad. ABD. — 6a, 3 nobis impetra ABC. — 6b, 2 qui es ABD. — 7a, 1 praestans ABD. — 7a, 2 delicta ABD. — 7b, 2 tua ABD. Mel. jedenfalls: O beata beatorum.

343. De ss. Stanislao et Wenceslao.

1a. Laetabundus
Psallat mundus, ut sit mundus
Laude digna,

1b. Stanislao
Cum beato Wenceslao,
Cogunt signa.

2a. Sociantur nomine
Et nominum omine
Testes digni,

2b. A sancto spiramine
Mysticorum lumine
Sunt insigni.

3a. Alter major gloria,
Fidei constantia
Alter dictus.

3b. Immarcessibilia
Carpunt vitae praemia.
Passi ictus.

4a. Prior auxit gloriam
Fidei constantiam
Docens, sequens,

4b. Exclusit injustitiam,
Haeresis per gratiam
Virus sequens.

5a. Hinc Dei fundamentum
Invisis argumentum
Stat habens firmamentum
Veri ritus.

5b. Nam scelestis manibus
Caesus membris omnibus
Integratur, avibus
Custoditus.

6a. Soli fastigio
Polonici concio
Jam concinat cum
tripudio,

6b. Ut dignos bravio
Dei dignatio
Nos reddat decur-
so stadio.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 45 saec. 15. A. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 131 saec. 14. B. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 138 saec. 14. C. — 2b, 3 insigni statt insignes durch den Reim aufser Zweifel. — Mel. selbstverständlich: Laetabundus.

344. De sancto Stephano.

1a. Protomartyr Christi mitis,
Pietatis vera vitis,
Lapsis relevatio,

1b. O dulcedo peccatorum,
Stephane, persecutorum
Reconciliatio.

2a. Tua prece nos emunda,
Lava lacrimarum unda
Actus nostros terreos.

2b. Corda resera serata,
Potestate Deo grata
Vectes frange ferreos.

3a. Qui sunt pudor confitendi,
Horror satisfaciendi
Amor, timor saeculi.

3b. Sic infusum virus cedet,
Ne seductor nos plus laedet
Fraude sui jaculi.

Miss. ms. Sitanstettense 77. saec. 15.

345. De sancto Stephano.

1a. Stephani victoria
Communi concordia
Collaudemus Dominum,

1b. Qui natus de virgine
Sine viri semine
Pro salute hominum.

2a. Coronavit hodie
Stephanum in acie
Certantem Judaica.

2b. Qui ductus consilio
Missus est in medio.
Facie angelica.

3a. Coelos, inquit, video
Apertos et cum Deo
Stantem Dei filium.

3b. Dono sancti spiritus
Turba victa penitus
Furit infidelium.

4a. Armata lapidibus
Sanctum quassat ictibus,
Orat flexis genibus:

4b. Domine, ne statuas
Nec malum restituas
Ignaris sceleribus.

5a. Mox spiritum tradidit
Et Domino reddidit
Primus martyr omnium.

5b. Cujus prece poscimus,
Ut habere possimus
Sanctorum consortium.

Prosar ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiense. 1339. — Mit Mel.

346. In Inventione s. Stephani.

1a. Exsultemus
Pari voto melodiam
Concordantes,

1b. Regi regum
In martyre laudem dignam
Celebrantes.

2a. Martyris insignia
Stephani solemnia
Plebs intendit,

2b. Plenus Dei gratia
Signa et prodigia
Qui ostendit.

3a. Martyrum primitiae
Dedicantur hodie
In Levita,

3b. Cujus festa gratiae
Mandantur memoriae
Recensita.

4a. Hic ad montem Domini
Viam parans homini
Celsiorem,

4b. Non pepercit sanguini,
Levitarum nomini
Dans honorem.

5a. Hic pro lapidantibus,
Deum ignorantibus,
Orat flexis genibus
Humi stratus.

5b. Paulus ejus precibus,
Unus ex nocentibus,
Fit jam ex credentibus
Renovatus.

6a. Ergo martyr Dei,
Tutela fidei,
Fac nos assequi
portum spei;

6b. Nos, qui sumus rei,
Jubilemus ei,
Qui dat gaudia
requiei.

Miss. ms. Ratisbonense saec. 15. Clm Monacens. 13 022. — Mel. ersichtlich: Laetabundus.

347. De sancto Thoma.

1a. Gaude, felix India,
Thomae per insignia
Nitens praeconia,

1b. Qui tua ferocia
Lenit lenocinia
Dei clementia.

2a. Dum te formidat adire,
Verbo Dei redimire
Mortis metu territus,

2b. Magno sibi solamine
Christus tali affamine
Adfuit divinitus:

3a. Ad Indos, Thoma, transibis
Et cum corona redibis
Multis inibi lucratis;

3b. Thomas ait: en praesto sum,
Dominum te gloriosum
Sequi cunctis abdicatis.

4a. Sicque, Thoma, Sancte Dei,
Regis Indorum Mesdei
Servi metu percelluntur
Minantes interitum;

4b. Qui dum verbum seris Dei,
Fiunt justi ante rei,
Rex et sui consternuntur
Ad tuum introitum.

5a. Captivaris et ligaris
Ante regem ductus,

5b. Cedit ignis, nam insignis
Surgit aquaeductus.

6a. Cumque sternis fanum,
Locum daemoniorum,
Ense per profanum
Ministrum idolorum
Cruento Deo mitteris.

6b. Ergo, Thoma care,
Apostole Indorum,
Tu nobis placare
Deum, regem coelorum,
Deleta culpa digneris:

7. Ut tua fide firmati
Posthinc tibi sociati
Gaudeamus perenniter.

Miss. ms. Voraviense 5. saec. 15. A. — Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. B. — Miss. ms. Voraviense 31. saec. 15. C. — Miss. ms. Monacense 23 054. saec. 14. D. — 1b, 2 Lenire lenocinia A; lenocia BCD. — 2b, 2 actali famine B.; tali flamine B. — 4a, 2 Mescei D. — 6a, 3 Ensem AB.

348. De sancto Thoma.

1a. Gaude, mater ecclesia,
Psalle Christo praeconia
Pro donis magnificis,

1b. Adsunt Thomae solemnia
Et veneranda gaudia,
Christum lauda canticis.

2a. Coelestis excepit curia
Spiritum cum laetitia
Sancti Thomae apostoli,

2b. Idcirco pro tanta gloria
Haec dies plena gratia
Digne debet recoli.

3a. Sanctus Thomas de tenebris
Ac vitiorum laetebris
Ad Christum multos duxit,

3b. Quos divina clementia
Supernae lucis gratia
Clementer illuxit.

4a. Propter Christum compeditur
A reprobis et caeditur
Et in flammas mittitur;

4b. Sed ab igne egreditur
Illaesus, sic ostenditur
Divina potentia.

5a. Cum autem signis claruit
Multis, ad Christum meruit
Migrare cum gloria;

5b. Nam lanceis occiditur,
Sed merces Christus redditur,
Quo sine fine fruitur.

6a. Salve, pastor gregis Christi,
Qui virtutibus claruisti
Multis et miraculis,

6b. Nobis te collaudantibus,
Apud Christum precantibus,
Succurre tuis famulis.

Cantionale ms. Vissegradense V C c η saec. 15. — Mel.: Quadriforme signum crucis. — 3a, 2 Atque vitiorum Hs. — 3a. 3 multos perduxit Hs.

349. In Translatione s. Thomae Aq.

1a. De superna monarchia
Lux emissa cum sophia
Dat lumen fidelibus,

1b. Thomas dictus in hac via,
Cum coelesti hierarchia
Concordat virtutibus.

2a. Ex abysso vanitatis
Virum summae puritatis
Vocat sapientia,

2b. Quem abyssum veritatis
In fiscella paupertatis
Statuit Pannonia.

3a. Qui creavit entia
Summa providentia
Hunc praeordinavit.

3b. Quem sua clementia
Replevit scientia
Spirituque pavit.

4a. Hic est legis declarator,
Hic doctorum lucidator
Sacra pandens munia,

4b. Falsos dissipat errores
Verosque componit mores,
Nota reddit crimina.

5a. Thronum tenens Salomonis,
Regnum sternit Babylonis
Dogmaque gentilium,

5b. Vires superat Samsonis,
Castis dum cingitur zonis,
Fit ceu candens lilium.

6a. Felix, per quem veritas
Panditur et falsitas
Omnis reprobatur,

6b. Virtutum moralitas,
Vitiorum pravitas
Mundo demonstratur.

7a. Latet hunc dum sacrum numen,
Petri, Pauli adest lumen,
Quo praeceptor omnium

7b. Jubet jubar illustrari,
Sidus vult clarificari
Pro luce fidelium.

8a. O quam probat hunc doctorem
Verum populi ductorem
Domini sententia,

8b. Quam bene de me scripsisti,
Christus inquit, ergo isti
Credat jam ecclesia.

9a. Laudes ergo pro inclito
Thoma doctore dicito,
Plebs serena,

9b. Cujus doctrinae radius
Christum demonstrat clarius
Luce plena.

10a. Sed tu, rabbi, pater pie,
Virgo purus et sophiae
Amator assiduus,

10b. Veritatem primam ora,
Ut quacunque nobis hora
Sit doctor perpetuus.

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477. — Mel. offenbar: In coelesti hierarchia. — 2b, 3 Pannonia Schreibfehler?

350. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Gaude, mater ecclesia,
In filiorum gloria.

2a. Quos peracta victoria
Coeli suscepit curia.

2b. Ibi Dei praesentia
Et pax viget perpetua.

3a. Ibi salus continua
Vera dant sanctis gaudia.

3b. Ibi Thomam coelica
Sanctum demulcent cantica.

4a. Cujus vita sanctissima
Virtutum fulsit gratia

4b. Mutus fatur et fugatur
Capitis obscenia.

5a. Cum defunctus esset unctus
Sacrosancto chrismate,
Mors recedit, vita redit
Orante pontifice.

5b. Obstupescit hausto potu
Plebis adunatio,
Quod liquoris benedicti
Non sit minoratio.

6a. Lapsus equo convalescit
Et laesuram laesus nescit
Praesulis precamine,

6b. Sanctus orans corde mundo
Dat salutem moribundo
Turbis admirantibus.

7a. Res miranda, vas quassatum
Vinum servat illibatum
Fractis tamen partibus;

7b. O quam pulchre precum vota
Mente libavit devota
Deo Dei famulus.

Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 394 saec. 14. B. — Miss. ms. S. Floriani III 221 saec. 14. C.

351. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Laeta mundus
Sit jucundus
Voce cantans
Alleluja,

1b. Regem verum
Laudans, rerum
Conditorem,
Mente pia.

2a. Angelorum intra chorum
Jam suscepta beatorum
Sede clara,

2b. Sole spreto vitae laeto,
Thomae datur sors pro leto
Magis cara.

3a. Sicut tellus lilium
Londonia filium
Parit Thomam,

3b. Neque cedit gladio,
Dum currit in stadio
Zelans Romam.

4a. Cedrus fit ex hysopo,
Martyr ex episcopo
Forma patris,

4b. Verbum hoc per vulnera
Dum propugnant viscera
Castae matris.

5a. Isaias sectus est,
Praesul ense nectus est,
Probans, quod electus est
Rex indigne.

5b. Si non confessoribus,
Credat vel martyribus,
Parcens proditoribus
Deo digne.

6a. O felix Anglia,
Flos angelica
Per sacerdotum
martyria,

6b. Quem docent gaudia
Vereri coelica,
Ipsum genuit
puerpera.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2. anni 1438. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 1. saec. 15. B. — 1a, 1 Laetabundus AB. — 2b, 1 spes AB. — 4a, 3 Forma panis AB, gegen den Reim. — Mel. selbstverständlich: Laetabundus.

352. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Plaude Cantuaria
Plausu renovato,
Laude multifaria
Deum collaudato,
Urbs sanctificata,
Firmiter fundata,
Deo consecrata,
Pretioso sanguine
Praesulis ornata
Et sancti solamine
Thomae solidata.

1b. Per mortem pontificis
Mors mortificatur,
Per occasum judicis
Jus redintegratur.
Mors mortem fugavit,
Fraus fidem firmavit,
Nox diem novavit;
Mira lucis novitas,
Quam nox reformavit,
Miranda vivacitas,
Quam mors ministravit.

2a. Emicat ex tenebris
Lux, ex spinis rosa
Et ex fraudis latebris
Fides fructuosa,
Pastor immolatur,
Fides roboratur,
Caecitas caecatur,
Congaudet ecclesia,
Cum pax reformatur,
Dolet injustitia,
Cui jus dominatur.

2b. Nova nostris vallibus
Vinea plantatur,
Per quam nobis omnibus
Salus restauratur.
Jam risus moerorem,
Requies laborem,
Gaudium dolorem.
Spes timorem superat.
Sanitas languorem,
Fraudi fides imperat,
Fraenat pax furorem.

3a. Vitium virtutibus
Solet dominari
Et a fraudis viribus
Fides conculcari;
Nunc ordo mutatur,
Fraus annihilatur,
Scelus exstirpatur,
Martyris subsidio
Feritas sedatur,
Derogatur vitio
Virtus dominatur.

3b. Salve, lux laetitiae,
Lumen confessorum,
Thoma, sol ecclesiae.
Solamen Anglorum.
Tu justi juvamen,
Tu moestis solamen,
Tu lapsis levamen
Tu nostra memoria
Nostrum medicamen
Tibi laus et gloria,
Virtus, honor. Amen.

Miss. ms. Autisiodorense saec. 14. Cod. Parisiens. 17316. A. — Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 11. B. — Prosar. ms. S. Frambaldi Silvanectens. saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. 4°. 45. C. — 1b, 7 diem renovavit B. — 2a, 9 Cui pax B. — 2a, 11 Cui vir A. — 2b, 6 fehlt A. — 2b, 7 timorem BC. — 2b, 8 dolorem BC.

353. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Palmes fructum fert in vite,
Dum consummat Thomas mite
In Christo martyrium.

1b. Martyr latens declaratur,
Dum confessor laceratur
Inter manus hostium.

2a. Adolescens fere Saulus,
Praesul factus vere Paulus,
Commutavit studium;

2b. Vetustatem declinavit,
Legem carnis expugnavit
Imitando spiritum.

3a. Novus novis insistebat,
Indefessus exercebat
Caritatis opera,

3b. In honore praesulatus
Deo crevit vir beatus
Sanctitatis gratia.

4a. Innocenter sed latenter
Informari regulari
Studuit custodia,

4b. Corpus domans vigilando,
Lectum lavit lacrimando
Orans cum fiducia.

5a. Levi cibo, dura veste,
Gravi potu, raro teste
Pertulit supplicium;

5b. Carnem diu sic mactavit,
Quae non tandem toleravit
In aperto gladium.

6a. Gradu functus, tuta mente,
Mole litis ingruente
Subiit exsilium,

6b. Revocatus martyrio
Datur matris in gremio
Ecclesiae gaudium.

7a. Fortis victor gloriosus,
Christi testis pretiosus
Coeli regnat incola,

7b. Cujus mundo mirifica
Per virtutum insignia
Declarantur merita.

8a. Sanctitatis flagrantia
Mundi replentur spatia,
Gaudet Cantuaria;

8b. Martyr clemens et confessor
Pius nobis intercessor
Vitae poscat praemia,

9. Ut divina largitate
In aeterna claritate
Perfruamur gloria.

Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456.

354. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Paulo tuo gaude, Roma.
Et tu tuo plaude Thoma,
Felix Cantuaria.

1b. Pauli Thomas imitator.
Praedo fuit et vastator
Pacis in ecclesia.

2a. Hinc ex lupo lator legis,
Pastor pius et dux gregis,
Agnus innocentiae,

2b. Et athleta Christi fortis
Poena spreta dirae mortis
Mortem vicit hodie.

3a. Thoma, martyr pretiose,
Fac nos mortis taediosae
Non timere taedia,

3b. Tu post Paulum spes secunda,
Desperatis ut fecunda
Conferatur venia.

4a. Tibi lepra, scabra cedit.
Mutus fatur, orbo redit
Visus et virilia;

4b. Claudus salit, surdus audit,
Caecus videns tibi plaudit.
Tanta data gratia.

5a. Per te membris destitutis
Priscae redit vis virtutis,
Cedunt quaeque vitia,

5b. Si sit firma spes salutis.
Fracto jugo servitutis
Fugantur daemonia.

6a. Verbum complens hic divinum
Semetipsum vespertinum
Dedit sacrificium,

6b. Quos praescivit et praedixit.
Dum pro Christo pie vixit
Missus in exsilium.

7a. In talentis duplicatis
Flamma fervens caritatis
Laetus bibit calicem,

7b. Et idcirco cum beatis
Regno gaudet claritatis
Coeli super apicem.

8a. Jesu bone, rex coelestis,
Cujus Thomas verus testis
Viva placet hostia,

8b. Nos illius patronatu
Liberatos a reatu
Transfer ad coelestia.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 45. saec. 15. A. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I I 6. B. — Miss. ms. Olomucense saec, 15. Cod. bibl. publ. I III 9. C. — 7a. 2 Flamma fluens. BC.

355. De sancto Udalrico.

1a. Salve, sidus puritatis,
Mundae ros felicitatis,
Udalrice floriger,

1b. Vas insigne sanctitatis,
O divinae civitatis,
Christi miles, armiger.

2a. Nardus odorifera.
Cedrus salutifera,
Canonista Mariae,

2b. Stella tu lucifera,
Dos morum dulcifera,
Cytharista sophiae.

3a. Parmula constantiae,
Dulcor temporantiae,
Balsamus amoris;

3b. Normula justitiae,
Rivulus prudentiae,
Libanus honoris.

4a. Cunis infans indicaris,
Te beatum demonstraris
Lactis abstinentia;

4b. Cibi vitae corporalis
Plus es tantus atque talis
Dei excellentia.

5a. Felix eras hinc adultus,
Tibi semper Dei cultus
Adfuit miraculis,

5b. Coeli regnum elegisti
Et illecebras sprevisti
Militantes maculis.

6a. O magistra militaris,
Digno digna coronaris
Udalrice, Suevia,

6b. Tali flore perornaris,
Tanta luce demonstraris
Evitare devia.

7a. Urbs insignis es, Augusta,
Infulari hac venusta
Dote pulchra filia;

7b. Gratuleris laude digna,
Deo velut non privigna
Redde vota milia.

8a. Gemma fulgens praesularis,
Rosa rubens salutaris,
Pastorale lilium;

8b. Udalrice, hujus maris
Educ undis nos amaris
Dulce per auxilium.

Cod. Scotorum Vindobon. 53. e 7. anni 1346. — Mit Mel.

356. De sancto Udalrico.

1a. Fontem dulcem sicut cervus,
Sic ad Christum constans servus,
In praeceptis non protervus,
Festinat Udalricus;

1b. Qui cum statim esset natus,
Post tres menses ablactatus
Fuit et supremo datus
Mirifice pudicus.

2a. Disciplinis post adstrictus,
Arte Dei sic amictus,
Peritorum quod conflictus
In hunc esset prospere;

2b. Romam quaerit et praelatum
Summum adit sibi gratum,
A quo fuit prophetatum
In pastorem crescere.

3a. O confessor magnae spei,
In Augusta praesul Dei.
Nobis confer ut non rei
Simus sed sub gratia;

3b. Qua sic velis impetrare,
Ut rebelles superare
Et destructa reformare
Possimus palatia.

Miss. ms. Virunense saec. 15. Cod. Musaei Virunens. 332. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum.

357. De sancto Udalrico.

1a. Gaude, coeli curia,
Recolens solemnia
Udalrici praesulis,

1b. Gaude, orbis orbita,
Sole tanto praedita,
Lucem dante populis.

2a. Gaude, gaudens gaudio
Tam claro de filio,
O mater ecclesia,

2b. Gaude, libens promere
Corde, ore, opere
Tam sancti praeconia.

3a. Gaude, sacer inclitis
Udalrice meritis
Florens ab infantia,

3b. Gaude, qui jejuniis
Instas et vigiliis
Flocci pendens noxia.

4a. Gaude, orbis framea,
Facis, Dei vinea
Ne sit hortus olerum.

4b. Gaude, lingua aurea,
Fidei ab area
Vepres vellis scelerum.

5a. Gaude, plenus gratia,
Mentis nostrae spuria
Tua prece expia;

5b. Gaude, dives gloria,
Nos Deo consocia
In coelesti patria.

Miss. ms. Neoclaustrense XII B. 11. saec. 15. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus. — 4a, 1 orbi framea Hs.

358. De sancta Ursula.

1a. Ave, lux insignis,
Quae ut Deo dignis
Coelites insignis
Thalamos virginibus,

1b. Morte qua fideli
Flagrans igne zeli
Scandit alta caeli
Ursula cum milibus.

2a. Haec vas egregium,
Gerens cor regium,
Fugit conjugium
Et viri contagia;

2b. Quaerens auxilium
Undecim milium
Sibi similium
Exsulat per maria.

3a. Castra summi regis
Virgo spe secura
Sequens cum collegis
Spernit peritura

3b. Turmas pii gregis
Pia regens cura
Pensat, quae sunt legis,
Colit coeli jura.

4a. Post maris gravia
Venit Coloniam.
Ductrice gratia
Tendens ad gloriam.

4b. Audit per somnia
Coelestem nuntium
Spondentem gaudia
Sed post martyrium.

5a. Mox Romam visitans
Sanctarum concio
Nil prorsus haesitans
Redit cum gaudio.

5b. Decurso stadio
Vitae, quae praeterit,
Percussa gladio
Hunnorum interit.

6a. Jam nunc invita
Cedens hac vita,
Icta sagitta
Coelum scandit Ursula;

6b. Ergo beatae
Jam laureatae,
Nobis placate
Christum prece sedula.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. — Mit Mel. — Ave Maris stella. Mellis coeli etc.

359. De sancta Ursula.

1a. Agnum sponsum virginum,
Regem regum Dominum,
Omnes adoremus,

1b. Virginum victorias
Et coelestes gratias
Laete decantemus.

2a. Haec sunt milia undena,
Turba fortis et serena,
Pugnans cum victoria,

2b. Rosae, stellae, margaritae,
Rubent, micant, splendent, vitae
Clara luminaria.

3a. Cum candore virginali
Et cruore triumphali
Scandunt ad coelestia.

3b. Quam beatae, quam formosae,
Quam sacratae, luminosae
Fulgent nunc in gloria.

4a. Spreta felix Ursula
Mundi regni infula
Et virili copula
In coelis laetatur,

4b. Serto nitet regio,
In coeli palatio
Sponso regis filio
Christo copulatur.

5a. Legit virgines decoras,
Quas vocabat ad coronas,
Baptizatae tollunt moras,
Navigant Coloniam;

5b. Cadunt oves trucidatae,
Rubent rosae cruentatae,
Intrant sponsae sic gemmatae
In coelestem curiam.

6a. Nos totalem fide fortem,
Virginalem hanc cohortem
Canamus praeconiis,

6b. Ut coelorum corde mundi
Post hanc vitam laetabundi
Perfruamur gaudiis.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. B. — 3a, 2 Cum cruore B. — Mel.: eigene.

360. De sancta Ursula.

1a. Gaude, Sion filia,
Spirans ad martyria
Contemplatione,

1b. Pulso carnis nubilo
Mentis plaude jubilo
Virginum coronae.

2a. Quae victrices palmas ferunt
Stolis tectae, quas laverunt
Agni Dei sanguine,

2b. Auro, gemmis perornatae
Rosas carpunt laureatae
Virginis cum virgine.

3a. Velut cedri vernant flore,
Quas perfundens Deus rore
Complantavit in tenore,
Ut sint nidus passeri;

3b. Secus aquas scripturarum
Cum novellis olivarum,
Lumen stillant animarum,
Ut respirent miseri.

4a. En in choro angelorum
Nuptialem sternunt thorum
Et in horto gaudiorum
Commetunt aromata;

4b. In convalle pietatis
Nardus fraglat caritatis
Et flos candet castitatis,
Virtutum charismata.

5a. Inter tanta floscula
Prima floret Ursula,
Gerasina, Sicula,
Ducta a Britannis

5b. Quarum ad consilia
Sunt undena milia,
Ut rosae vel lilia
Fraglant Alemannis.

6a. Quidam testes sunt earum
Et consortes gratiarum
Praesules et milites,

6b. Ad vindictam nationum
Signo ferunt passionum
Gladios ancipites.

7a. Quae dum Roma redeunt,
In Agrippa subeunt
Gladios Hunnorum,

7b. Spreta mundi gloria
Mutant transitoria
Sub spe futurorum.

8a. Bethsaidae sunt piscina,
Quae fit aegris medicina
Ad virtutis bravium,

8b. Boni pisces in sagena,
Quibus Christus est in coena
Salutis cibarium.

9a. Ergo patres et puellae,
Jam divino pastae melle,
Nos purgate omni felle
Vestrae precis gratia,

9b. Ut tentati non vincamur,
Laude vestra fulciamur,
Sed laetari mereamur
Sempiterna gloria.

Miss. ms. Cremifanense 339 saec. 15. — 3b, 1 Muro, gemmis. — 4a, 1 In in choro. — 5a, 1 setzt einen Nom. neutr. Ioseculum voraus. — 5a, 3 Quam Gerasina. — 5a, 4 Duxit a.

361. De sancto Victorino.

1a. Christo laus, qui Victorino
Cum germano Severino
Contulit coelestia.

1b. Victorinus in deserto
Lustro se recludens certo
Refutans terrestria.

2a. Quem in nocte attemptavit
Satan et contaminavit
Luctu ut puellula.

2b. Defrautatus ob reatum
Durissimum cavit stratum
Gradiens ex cellula.

3a. Et infigens fago durae
Manus, plantae ut scissurae
Aboleret crimine.

3b. Tonitrus e coelo ruens
Fagum trivit, sed hunc tuens
Deus cum munimine.

4a. Amiterni tunc beatum
Elegerunt in praelatum
Et pastorem gregibus,

4b. Ut praeesset praenotatis
In doctrinis sanctitatis
Et sanctorum sedibus.

5a. Quo audito Caesar Nerva
Hunc traduxit cum caterva
Forti in exsilium,

5b. Simulacris qui libare
Sprevit, docens adorare
Solum Dei filium.

6a. Tunc praeses Aurelianus
Mox in sanctum mittens manus
In sursum cum pedibus

6b. Hunc suspendit super undas
Putrefactas et immundas;
Sic a mundi caedibus

7a. Martyr Christi est ereptus
Tota quoque circumvectus
Coelesti laetitia.

7b. Ergo, martyr Christi, asta
Coram throno matre casta,
Impetra solatia.

8a. Meydburg, fausta urbs, laetare,
Caesar Otto quod per mare
Tibi et Saxonibus

8b. Corpus hujus apportavit,
Qui languores effugavit
Saevis cum daemonibus.

Grad. ms. saec. 15. Clm. Monacens. 23286. — Mel.: Gaude Sion quod egressus. — 2b, 2 Larissimum Hs. — 4a, 1 Nyturnini Hs. — 6a, 3 Sursum cum Hs.

362. De sancto Victore.

1a. O beata beatorum
Martyrum memoria,

1b. Intra quorum splendet chorum
Victoris victoria.

2a. Qui post mortem in consortem
Coelestis militiae

2b. Est a Deo cum trophaeo
Assumptus laetitiae.

3a. Hic benigne Deo digne
Legioni praefuit,

3b. Christi fidem doctus pridem
Servare ut decuit.

4a. Reddens regi sua, legi
Dei quidquid debuit.

4b. Consodales esse tales
Vita, verbo docuit.

5a. Qui dum sana fide vana
Idola despiciunt,
Poenas, mortes Christi fortes
Tirones suscipiunt.

5b. Christum ducem Christi crucem
Imitantes perferunt,
Se mactatos, caesos, stratos
Holocaustum offerunt.

6a. Ergo Christi cohaeredes
Facti in coelestibus,

6b. Regnant isti, praesens aedes
Quorum servit laudibus.

7a. Christi testis, Victor fortis,
Fac post transitoria

7b. In coelestis nos cohortis
Exultare gloria.

Miss. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. — 4a, 1 suae Hs.

363. In Translatione s. Victoris.

1a. Psallat plebs et cleri ordo,
Psallat plectro decachordo
Cordis cum laetitia,

1b. Christo regi laus cantetur,
Christi militis laudetur,
Victoris victoria.

2a. Ab externae regionis
Finibusque Pharaonis
Uber Dei gratia

2b. Hunc patronum destinavit,
Hunc thesaurum commendavit
Nobis ad solatia.

3a. Quem sacra cum legione
Christus benedictione
Praevenit dulcedinis,

3b. Fide firma, spe sincera,
Firmans caritate vera
Turrim fortitudinis.

4a. Hic virtute trina fultus
Summae trinitatis cultus
Inardescens studio

4b. Victor trinus hostem stravit:
Mundum sprevit, se negavit
Carnem necans vitio.

5a. Bonum certamen certavit,
Cursum bene consummavit
In hoc vitae stadio;

5b. Quem decorat laureatum,
Quem honorat hunc donatum
Christus vitae bravio.

6a. Hic fert Moysis figuram,
Dum per passionem duram
Rubrum mare transiit;

6b. Rubrum mare passionis
Ob terram promissionis
Israel dux subiit.

7a. Hic fert Josue ducatum
Ducens agmen Deo gratum,
Bellatores strenuos;

7b. Quos voto et vita pari
Gaudet sibi sociari
Constantes, innocuos.

8a. Hic Goliam superavit
Imitator veri David
In funda et lapide.

8b. Lapis firma fides Dei,
Quo feritur Philistaei
Fons bacchantis rabide.

9a. Iste tuus Maccabaeus,
Hic atletha pro te, Deus,
Laetum laete pertulit.

9b. Dum profani jussu regis
Testamentum tuae legis
Corde, ore praetulit.

10a. Bibens torrentem in via
In coelesti hierarchia
Caput exaltavit dia
Coronatum gloria.

10b. Cujus colit nunc sacratum
Corpus sibi commendatum,
Nutu divino translatum,
Xantensis ecclesia.

11a. Victor sancte servos serva
Vires hostium enerva,
Fac ut haec sua caterva,
Tuta sorte a proterva,
Tuis vacet laudibus.

11b. Jesu, summi, patris nate,
Merito Victoris a te
Nobis detur, ut beate
Coram sacra majestate
Fruamur coelestibus.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. ex. — 2a, 3 Urbe Dei Hs. — Mel.: Salve mater salvatoris. — Verfasser der Sequenz ist vermutlich der Xantener Decan Arnold Heimerich, † 1491.

364. De sancto Vincentio.

1. Victori Deo
laudum praeconia
referat
gaudens ecclesia.

2a. Cum dies celebris
annua
revehit mundo gaudia,

2b. Sonoris vocibus
dulcia
concinat chorus cantica.

3a. O quam recolenda
instant solemnia,
exsultat
nunc omnis ordo
mira laetitia.

3b. Vivis lapidibus
aetheris edita
jungitur
gemma splendida
in poli regia.

4a. O Vincenti,
sacri parta tibi
pretio sanguinis
donatur laurea.

4b. Cum sanctorum
choro spirituum
victor gloriaris
in stola rosea.

5a. O quam digna geris
martyris insignia,
praemia tui laboris,
poenis succedunt
aeterna gaudia.

5b. Ad illa milites
tendunt certamina
talibusque bellatores
ornant trophaeis
et tanta gloria.

6a. O quanta supera
regis in curia
merces militantibus
datur post proelia.

6b. In Christo credula
sit mens intrepida,
brevis quidem labor est,
dona perennia.

7a. Fragilis materia,
pulveris haeres
et transitura,
ut vivas
Deo, moriaris,
sic scandens ad sublimia.

7b. Martyris supplicia
si paulo tibi
videntur dura,
respice,
quid sit promereri
pro terrenis coelestia.

8a. O Vincenti,
sancti spiritus
flamma, purgans
omnia
cordis intima,
devicit
ignis incendia.

8b. O divinae
dux militiae,
tibi phalanx
coelica
sistit obvia
jubilans
laude dulciflua.

9a. Fortis belligerator,
paradisi gaudia,
quaesumus,
nobis implora,
quo gaudeamus
tecum per saecla.

9b. Felix, felicitatis
aeternae praecipua
munera
tuis deposce,
regis aeterni
frui praesentia.

10. Ave, martyr
semper colende,
tibi sit laus
temporis ulla
sine meta.

Miss. ms. Calvimontanum saec. 14. Cod. Parisiens. 9442. — Mit Mel.

365. De sancto Vincentio.

1a. Christo canamus
diei
hujus pangendo gaudia,

1b. Martyris almi
colendo
Vincentii praeconia.

2a. Ortus ab Hispania
nobilitatis conspicuae
linea

2b. Claruit scientia,
claruit et facundi oris
gratia,

3a. Sacrae fidei
edocendo mysteria.

3b. Quam immania
tulit vitae dispendia!

4a. Rimantur ungulae
costarum
ejus intima,

4b. Discerpunt viscera,
membrorum
solvunt vincula.

5a. Scissa cutis,
fusus sanguis,
os elisum,
caro omnis lacera.

5b. Sat fidei
peroratur,
convalescit
fortior ad singula.

6a. Confutatur
Daciani
judicis perfidia,

6b. Debachatur
efferatus
immani saevitia.

7a. Raptum jubet
martyrem mox applicari
ad incendia,

7b. Crepitanti
sale consperguntur prunis
usta viscera.

8a. Reportatur demum martyr
ad lectorum mollia,

8b. Sed mox resoluta illius
coelos petit anima

9a. Laus sit tibi, Deus,
martyrum tuorum
victoria,

9b. Cujus ope tanta
evicerunt et tot
luctamina.

10. Ave, martyr praedicande,
Nobis coeli gaudia
supplicando impetra.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. — 8b, 1 sq. illius coelos petit.

366. De sancto Vincentio.

1a. Militans in gratia,
Jubilans in gloria,
O mater ecclesia,
Regi Christo

1b. Prolis in memoria
Nova laudum munia
Da fruens laetitia
Die isto.

2a. Sapiens hic filius
Scilicet Vincentius,
Suo excellentius
Laus sit patri.

2b. De quo tam eximius
Sursum et inferius
Crescit abundantius
Honor matri.

3a. Sancti Petri regula
Ab aetate parvula
Litteris praeambula
Hunc instruxit,

3b. Sancti Sixti regula,
Sanctitatis formula,
Ad aeterna gaudia
Post perduxit.

4a. Per hunc gaudet ethnicus,
Caecus et hydropicus,
Surdus, epilepticus
Et gibbosi.

4b. Omnes sani gestiunt,
Daemon. vincla fugiunt
Et mundatos sentiunt
Se leprosi.

5a. Hujus almi gratia,
Quorum praeter alia
Defunctorum corpora
Reviviscunt.

5b. Sursum Christi munera
Fac, Vincenti, scandere,
Qui sub mortis pondere
Ingemiscunt.

Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. — 3b, 1. Ursprünglich de s. Laurentio?

367. De sancto Virgilio.

1a. O Jerusalem superna,
Dies tua sempiterna
Luce fulget hodierna
Coelo demissa clarius;

1b. Qua sacrum adauxit chorum
In splendoribus sanctorum
Luce pari meritorum
Sacer praesul Virgilius.

2a. Auro coeli gemma viva,
Novae lucis diffusiva,
Arte ac virtute diva
Superintexta promicat,

2b. Cujus fulgur mox inspectus
Salutis causat effectus
Contra morbos et defectus,
Si fides firma supplicat.

3a. Vita clarus et politus,
Christo lapis insignitus,
Quem gloriae capit situs
Gratiae magisterio,

3b. Dum de mundo triumphavit,
Dum hostem sibi substravit,
Sese vincens adaptavit
Coelesti aedificio.

4a. Consummatus ad perfectum
Vas gloriae, vas electum,
Lumen patens et erectum
Fulget in domo Domini,

4b. Cujus pondus meritorum
In numero confessorum
Sentit opem praemiorum
Ejus devotus nomini.

5a. Caecis lumen gratum redit,
Transit morbus nec jam laedit,
Vi coactus daemon cedit
Invocato Virgilio.

5b. Fons gratiae et virtutis
Late patet fide tutis
Cum optatae spe salutis
Sub ejus patrocinio.

6a. Pastor pater et patrone,
Tuos in tuto repone,
Quo consortes spei bonae
Firmi stent in periculo.

6b. Rege, reduc oberrantes
Et confirma bene stantes,
Ut te sint hic imitantes
Et in futuro saeculo.

Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 15. B. — Miss. ms. S. Floriani XI 394 saec. 14. C. — Miss. ms. S. Floriani III 221 saec. 14. D. — Cod. Palat. Vindobonens. 547 saec. 15. E. — 3b, 2 Dum et hostem. BC. — 4a, 1 praefectum BD. — 6a, 2 in tuo expone BCD.

368. De sancto Vito.

1a. Athletam Christi, juvenilem
Annis, mente sed senilem
In salubri prudentia.

1b. Perdignum laude veneremur,
Ejus mira modulemur
Devota cum frequentia.

2a. Gloriosus puer Vitus,
Virtute multa redimitus
Sua in infantia,

2b. Reges saevos superavit,
Deos vanos et prostravit,
Fugavit daemonia.

3a. Membra sanat arefacta,
Caeca patris sunt redacta
In virtute propria,

3b. Olla fervens tabescebat,
Leo ferox nec laedebat
Sacratam infantiam.

4a. Vultu Dei hic electus
Per aquilam est refectus
Cum suis sodalibus,

4b. Ut oliva pullulantem
Jesus probat hunc infantem
Diris cruciatibus.

5a. Quos velut gigas triumphavit
In Christo Jesu, quem amavit
Puro desiderio,

5b. A patre saevo segregatur,
Terrae longinquae sociatur
Duce nauta angelo.

6a. Sed post catastae cruciatus
Cum suis sursum est levatus
Ad aethera cum jubilo,

6b. Ubi decore laureatus
Regnat festive trabeatus
Prae claritatis pallio.

7a. Tu ergo tam excelse Dei
Nobis, qui sunt Deo rei,
Pio succurre suffragio.

7b. Ut possimus conregnare,
Tibi semper et laudare
Trinum aeterno tripudio.

Miss. ms. Zwethalense 229 saec. 14. add. saec. 15. A. — Miss. ms Voraviense 35 saec. 14. B. ohne Varianten.

369. De sancto Wenceslao.

1. Festa mente jucundemur,
Festa voce veneremur
Diem natalitium,

2a. Quo est natus vir beatus,
Wenzeslaus Deo gratus
In terra viventium,

2b. Qua mens semper habitavit,
Caro dum hic aggravavit
Spiritum egregium.

3a. Ducem istum Bohemorum
Lux inargentavit morum,
Inauravit passio,

3b. Illud junxit
hunc confessoribus,
Hoc honorem
auxit martyribus,
Ista dies filio.

4a. Vitam, mortem revolvamus,
Et sic diem hunc ducamus
In salutis otium,

4b. Et praecordialibus
Prius demus vocibus
Vitae dulcis lilium.

5a. Flos explosus morum viam
David sancti prophetiam
Festinat addiscere,

5b. Nudis plantis domum Dei
Puer adit bonae spei,
Deo studet psallere.

6a. Annos surgit in majores
Et in ramos fortiores
Planta Dei tenera,

6b. Intus, extra crescit myrthus,
Totam terram myrthi virtus
Replet odorifera.

7a. Elevatur jam lucerna,
Quam accendit lux superna,
Flamma sancti spiritus;

7b. Gaudet tota regio,
Tam illustri radio
Radiata coelitus.

8a. Honor mores non pervertit,
In salutem arma vertit
Potestatis gloriam,

8b. Caeci lumen, claudi pes
Viduae, pupilli spes,
Deo reddens latriam.

9a. Cujus sensus cuncta regit,
Messem unam regi legit,
Ut, quae sunt carnalia,

9b. Verbo patris operante,
Sacerdote ministrante
Fiant spiritalia.

10a. Post haec mortis de torrente
Fratre bibit persequente,
Sed transit absinthium,

10b. Deo justum exaltante,
Rosam rosis aggregante
Dulcorem in nimium.

11a. Fraudulenter invitatur,
Venit, sedet, epulatur,
Ter ebullit, ter sedatur
Fratris furor impius;

11b. Tempus noctis dux sequentis
Piis transiit lamentis,
Piae mentis alimentis,
Piae mortis praescius

12a. Adest stella, praeco lucis,
Bis in caput sancti ducis
Mittit ensem manus trucis
Indignante gladio;

12b. Timet quippe vulnerare
Nec in via audet stare,
Cadit curans hunc levare.
Reddit pius impio.

13a. Clamat reus: adsunt rei
Trucidantque sanctum Dei;
Coronatur tali cruce,
Regem facit hunc de duce
Regis regum gratia.

13b. Wenceslae, rex es factus,
Rege nostros, o rex, actus,
Hujus terrae rege regem,
Cum pastore rege gregem,
Dux, duc ad coelestia.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign. — Mel.: Laudes crucis. — 2a, 2 Deo carus Hs. — 4b, 2 demus varibus Hs. — 6b, 1 Intus et extra Hs. — 12b, 2 in viam oder minam Hs.

370. De sancto Willibrordo.

1a. Festa patris Willibrordi
Sint jucunda pio cordi,
Psallat mater ecclesia,

1b. Cujus verbo foecundatur,
Cujus fide perlustratur
Dante Dei gratia.

2a. Hic Wilgiso patre satus,
Plenae lunae praesignatus
Est matri per somnia,

2b. Magnus fore praemonstratur,
Summa prorsus educatur
Patris diligentia.

3a. Applicatur litterali
Disciplinae spiritali
Subsequente gratia,

3b. Hic instructus regulari
Vita studet informari,
Frequentat coenobia.

4a. Exhinc vitae verbum sevit,
De quo seges parta crevit
Renitente Frisia,

4b. Quae, ne ferat semper spinas,
Sanas continet doctrinas,
Innovat novalia.

5a. Hujus nomen ut emersit,
Dux Pippinus hunc accersit,
Cui parebat Francia;

5b. Hic baptizat natum ducis,
Totam gentem verae lucis
Imbuit notitia.

6a. Suadet dux, aditur Roma,
De quo pontifex aroma
Capit hoc in somnia:

6b. Post tres dies vir beatus
Adventabit, praesulatus
Hunc sublimes infula.

7a. Sanctus adest, currunt turbae
Clerus, papa prodit urbe,
Suscipitur cum gloria,

7b. Archipraesul ordinatur,
Nomen Clemens adaptatur,
Redit auctus gratia.

8a. Danis stillat vitae verbum,
Quod non capit cor superbum,
Visitatur Frisia,

8b. Hic baptizat, de Fosite
Fonte fontem sacrans vitae,
Ter denorum corpora.

9a. Friso videt et fatiscit,
Morti dare sanctum gliscit,
Sed coercet Francia;

9b. Cui tandem parens victa,
Willibrordi capit dicta
Devovens daemonia.

10a. In Trajecto praesulari
Sede sita salutari
Totus vacat opera,

10b. Acta vita, verbo, signis
Ut columna fulgens ignis
Transit ad coelestia.

11a. Nos peccati mersi sorde
Tua, pater Willibrorde,
Poscimus suffragia.

11b. Firma stantes, lapsos tolle,
Noxas aufer, morbos pelle,
Christo nos concilia.

12. Ut post hujus finem vitae
Dicat: Electi, venite
Ad superna gaudia.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. — Mel.: Majestati sacrosanctae; zu 8b, 1 vgl. Alcuin, Vita S. Willibrordi Lib. I. cap. 10.

371. De ss. Wirone, Plechelmo, Otgero.

1. Ad laudes Salvatoris
ut mens incitetur humilis,

2a. Sentiat hunc diem
justa de causa celebrem

2b. Wironis Plechelmi
et Otgeri memoria.

3a. Hodierna luce
pariter
quos veneratur populus,

3b. Qui semper in choro
sanctorum
splendent ut sidus aureum.

4a. Et angelorum coetibus
laeti sociantur
in supernis,

4b. Quibus in hoc saeculo
fidei nexu
sociabantur.

5a. Qui tritici suam
cunctis dantes mensuram
ad fidei caulas
vocantes oviculas
lupi vincebant insidias.

5b. Fideliter sua
partientes talenta
dederunt ad mensam
Domini pecuniam,
ut dignam facerent usuram.

6a. Beati hi servi,
quos adveniens Dominus
vigiles invenit,

6b. Probatos in terra
super omnia statuit
illos in patria.

7a. Ad horum ergo gloriam
celebrandam
concinat clerus
laudem dignam
et populus
laetis respondeat vocibus.

7b. Clamemus omnes cernui:
sancte Wiro,
sancte Plechelme
et Otgere,
vestris hosce
precibus greges adjuvate.

8a. Ne nos
aeternus deserat pastor.
sed furorem luporum
a nobis arceat.

8b. Et vos
nostri rectores estote.
quos hic dedit operis
sui vicarios.

9a. Ut fidem inconcussam
teneamus operibus
bonis semper fructuosam

9b. Et post haec certamina
vobiscum in gloria
gaudeamus sempiterna.

Missarum officia pro iis festivitatibus quae dioecesi Ruraemundensi sunt propria. Lovanii 1608. — Die Sequenz ist alt, leider keine ältere Quelle. Stammsequenz ist Kehrein 465. In Strophe 4 ist aber der Rhythmus zerstört, in Strophe 8 geändert und 9 hat eine Gegenstrophe erhalten.

372. De sancto Zenone.

1a. Omni laude sit florescens
Fervor mentis inardescens
Plausus dans altissimo,

1b. Basem firmam qui construxit,
Templo suo dum illuxit
Zeno felicissimo.

2a. Ortu fulgens sidus mirum,
Cujus fulgor mundi gyrum
Digno pinxit praemio,

2b. Nitens bonis hic a cunis
Sanctus vitae et immunis
Matris venit gremio.

3a. Ea solum
gliscens colloquia,
Quae divina
rorant consilia,
Veronensis
praesul habilia
Secretaque
loca vult amare.

3b. Zelo puro
regis accubitum
Ut sentiret
posset et subitum
Nardus sua
fructum per publicum
Sic odorem
late respirare.

4a. Aegrae mentes quo valescant,
Tacta verbo vitae crescant
Quasi cedrus libere,

4b. Novit blandos nam per mores
Atque pios Deo flores
Animarum mittere.

5a. O talentum nobile,
Quod sic sumpsit mobile
Lucro multifario;

5b. O excellens gratia,
Augens hoc per spatia
Celans non sudario.

6a. Raptum pulsu fluminis
Signo vivi luminis
Mox salvavit,

6b. Anchoram proficui
Figens corpus mortui
Animavit.

7a. Pharetram contrivit diram,
Rabiei pellens iram
De regali filia;

7b. Rex mercede pro condigna
Huic mente de benigna
Dat coronae lilia.

8a. Olivarum fluens more
Largus, udus divo rore
Sanctus, Dei pro honore
Datum dat egentibus.

8b. Notus botrus pleni fructus
Finit dies hujus luctus,
Coelo gaudens est adductus
Meritis decentibus.

9a. Ovat ejus te virtute
Caecus, claudus, surdus tute
Sentiens juvamina;

9b. Beat atque vi profunda
Urgens quos reclusit unda
Templo dans tutamina.

10a. Invocamus
ergo te patronum,
Sancte Zeno,
mentis auge bonum
Vulsa labis scoria.

10b. Sine fine
Deum contemplari
Ejus quoque
vultu jucundari
Fer in coeli gloria.

Grad. Mosburgense anni 1360. Cm. Universit. Monacens. 157.

DE COMMUNI.

373. De ss. Angelis.

1. Summae trinitatis
tres summi
adestote angeli.

2a. Tu purgator Raphael,
illustrator Gabriel,
consummator Michael,

2b. Nos purgantes macula,
replentes scientia,
consummantes gratia.

3a. Nam tu, purgator
oculorum,
quos caecavit stercus
avium,
te demonstras
purgatorem cordium,
quibus nocet
foeditas
cogitationum.

3b. Sed tu, qui visum
Danieli
pandis et secretum
virgini,
te ostendis
scientiarum ministrum,
quae de sursum
descendunt
a patre luminum.

4a. Tu, qui habes aureum
thuribulum
cum incensis orationum,

4b. Deum placas humilis
altissimum,
minister consummationum.

5a. Ergo quod Petrus,
Johannes, Jacobus,
inter apostolos,

5b. Hoc vos, Michael,
Gabriel, Raphael
estis inter angelos.

6a. Jacobus
et Raphael explantant
vitia,
Johannes atque Gabriel
illustrant corda.

6b. Tu, Petre,
tuque, Michael, bini
vertices
perfectionis, virtutis
pares perfectores.

7a. Tu draconem,
tu Neronem
humilias,
tu angelum,
tu hominem.

7b. Hinc daemonum,
hinc Romanum
triumphantes
in Domino
principatum.

8a. Michael
nam sonat: Quis ut Deus,
humilis et crucem
gyrat Petrus,

8b. Docentes
omnem gloriam coelo,
terra soli Deo
condebitam.

9a. Sic ter terni
docetis ordines
ter sanctus
consone clamantes

9b. Trinum atque
unum Deum, solum
sanctum, sanctis
cunctis praeferendum.

10a. Ad hujus sanctae
trinitatis cultum sanctissimum

10b. Conjugatorum,
continentium atque rectorum

11a. Vos ternos
continue
ordines vestro
juvamine

11b. Purgate,
illustrate,
humilitate
perficite.

12a. Ut qui per superbiam,
vanitatem, illecebram,
heu sumus oppositi
patri, verbo, pneumati,

12b. Jam per abstinentiam,
oramus, elemosynam,
sobrie, juste, pie
vivamus Deo placite

13a. In sancta fide, spe,
caritate,
sani, laeti, integri

13b. Ter sanctus clamantes
dulcisone
corde, ore, opere,

14. Simusque vobiscum grati
summae trinitati.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13 314. saec. 11. add. saec. 12/13. — Überschufs von je einer Silbe 3b, 6; 5b, 3; 6b, 5; 9b, 3; 12b, 4.

374. De ss. Angelis.

1a. Sollemnizet plebs fidelis
Ad honorem Michaelis
Atque coeli civium,

1b. Laus in terra, laus in caelis,
Liae clamant et Rachelis
Advenisse gaudium.

2a. In excessu mentis piae
Tres adstantes hierarchiae
Miro vacant jubilo,

2b. Dum te laudant, trishagie,
Replent omnes thearchiae
Lumen sine jubilo.

3a. Fluens rore matutino
Nomen trahit a camino
Seraphica legio,

3b. Quo plus adstat a vicino,
Christe, tibi, plus divino
Crematur incendio.

4a. Cherub visum non offendit
Lux immensa sed accendit
In te, lumen luminum,

4b. Et secreta comprehendit,
Comprehensa his ostendit
Subjectorum agminum.

5a. Coassistunt isti throni,
Qui causarum sunt patroni
Dictantes judicia,

5b. Huic clarum est legioni,
Quod per eam vult disponi
Deus emergentia.

6a. Dominari qui dicuntur,
Mira pace perfruuntur
Visa Dei requie,

6b. Intra sese colliguntur
Et sequentes his subduntur
Modo reverentiae.

7a. Virtuosis rex virtutum
Praebet eis absolutum
Robur ad prodigia,

7b. Famulatur his ad nutum
Servans horum constitutum
Mundana materia.

8a. Sexto loco potestates
Per collatas dignitates
Deiforme perferunt.

8b. Arcent larvas et penates
Et eorum pravitates,
Qui peccata suggerunt.

9a. Sacer ordo principatus
Suo loco sublimatus
Principatur subditis:

9b. Hi deponunt potentatus,
Mutant regna, mutant status
Pro diversis meritis.

10a. Phalanges archangelorum
Sunt legati secretorum
Majorum ad homines,

10b. Subest chorus angelorum:
Ad excelsum et decorum
Nos hi ducant ordines.

Grad. ms. Gracense 36. saec. 14.

375. De ss. Angelis.

1a. In coelesti hierarchia
Praesentetur laude pia
Praesens jubilatio

1b. Jubilemus collaudantes,
Quos tam digne ministrantes
Decet collaudatio.

2a. Ex Aegypto castitatis
Super orbem vanitatis
Scandit noster spiritus

2b. Spiritales coeli vitas
Nunquam visas, nunquam sitas
Intueri coelitus.

3a. In figura corporum
Sub mensura temporum
Non sunt hae naturae,

3b. Sed sunt diva specula,
Plena sine macula
Formis creaturae.

4a. Hi sunt novem angelorum
Ordines subdistinctorum
Hierarchia triplici;

4b. Quot sint? tantum numerantur
Singuli, quo nominantur,
Verbo Dei simplici.

5a. Una vita sunt fruentes,
Omnes tamen differentes
Naturali specie.

5b. Quique minus elongantur,
Verbo magis perlustrantur
Claritate gloriae.

6a. Felix haec diversitas,
Quae sic fit identitas,
Quod non dividatur,

6b. Quia per officia
Quilibet et propria
Ordo distinguatur.

7a. Seraphim sunt incedentes,
Cherubim plene scientes,
Throni sedes judicis;

7b. Hi dicuntur assidentes,
Cuncta regit persequentes
Summi lex artificis.

8a. Sed disponunt dominatus
De ministris, principatus
Ministrando praesident,

8b. Potestatibus arceantur
Temptatores et terrentur,
Ne nos nimis incitent.

9a. Per virtutes angelicas
Complet Deus mirificas
Actiones;

9b. Summa nobis archangeli,
Minores ferunt angeli
Lectiones.

10a. O beatae coeli mentes,
Gubernentur omnes gentes
Vestris ministeriis;

10b. Incendatis frigescentes,
Illustretis nescientes,
Insit rex praecordiis.

11a. Impugnantes expugnate,
Principantes ordinate,
Praesides dirigite,

11b. Imbecilles roborate,
Summa summis nuntiate,
Parva parvis dicite.

12a. Sed tu, pater et dux bone,
Victor hostis et patrone
Michael fidelium,

12b. Legem pone mandatorum
Nosque choris angelorum
Transfer post exsilium.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. s. sign. Musaei Ferdinandei Oenipont. (vgl. Jahresbericht 1887, Handsch. No. 9). — Die Sequenz ist auf die Prose gleichen Anfangs de s. Dominico gemacht. — 2a, 3 Scandit nostri spiritus. — 4a, 1 Ordinum. — 4b, 2 Singuli quia; Ps. 146, 4.

376. De ss. Angelis.

1a. Paranymphos coeli regis,
Defensores Christi gregis
Vocemus suspiriis,

1b. Montes isti circa thronum
Nuncupantur juxta donum,
Quod habent prae aliis.

2a. Coeli triplex hierarchia,
Vigens sub una sophia,
Trino fruens lumine,

2b. Haec perficit nos et purgat,
Illuminat, unde surgat
Nostra mens a crimine.

3a. Contemplando dum accedunt,
Cum mittuntur, non recedunt,
Intra Deum cursitant,

3b. Hostes arcent, justos tegunt,
Fovent pios, quos et regunt,
Desolatos visitant.

4a. Cum sint isti tam beati,
Nobis tamen despicati,
Nostras preces deferunt,

4b. Ut ex ipsis integrari
Possint hisque sociari.
Sanctos hic non deserunt.

5a. O quam cives hi felices,
Qui dum explent suas vices,
Semper frui sitiunt;

5b. Hos fidenter deprecemur,
Ut ab ipsis adjuvemur,
Invidere nesciunt.

Prosar. ms. Coelestin. ad S. Mariae Parisius saec. 14/15. Cod. Mazarin. 447. (757). A. — Miss. ms. Coelestin. Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.). 200. B. — Mel. = Mane prima Sabbati, natürlich nicht ohne die weitgehendste Vergewaltigung derselben. — 4a, 2 l. destinati?

377. De sanctis Apostolis.

1a. Creatoris laude pie
Festa agens in hac die
Jubilat ecclesia,

1b. Apostolis solemnizat
Jure horum et hymnizat
Digna pro memoria.

2a. Quorum dicta fundamenta
Sunt et scripta instrumenta
Pro salute hominum,

2b. Hi sunt patres principales,
Duces gregis generales
Ad cunctorum Dominum

3a. Propinantes, quae hauserunt,
Ministrantes, quae sumpserunt
Messiae praesentia,

3b. Quo vocati et electi
Gente omni ac profecti,
Docti sunt ingentia.

4a. His paterna impertivit,
Quorum sonus tunc exivit
Fines terrae protinus,

4b. Dum rex scandens desolatis
Dotem misit corde patris
Primitias spiritus.

5a. Ex tunc coelum ornaverunt,
Cum ad fidem converterunt
Infinita milia,

5b. Et ipsorum patronatus
Christianitatis status
Datur ad praesidia.

6a. Ergo Christi vicarii,
Mementote pie nostri,
Mundi luminaria,

6b. Hic in fide roborate,
Post ad regnum nos juvate
Dispositum patria.

7. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Dusseldorpinum D. 11. saec. 15.

378. De sanctis Apostolis.

1a. Cor angustum dilatemus,
Ut senatus exaltemus
Laudes apostolici;

1b. Voce vita non discordet,
Nam si vitam vox remordet,
Fructus laus est modici.

2a. Hi sunt templi fundamentum,
Vivus lapis et caementum
Ligans aedificium;

2b. Hi sunt portae civitatis,
Hi compago unitatis
Israel et gentium.

3a. Hi praeclari Nazarei
Bella crucis et trophaei
Mundo narrant gloriam;

3b. Paranymphi novae legis
Sponsam ad amplexum regis
Conducunt ecclesiam.

4a. Coeli cives digni dici,
Christi fratres et amici,
Consessuri judices,

4b. Quando fremet furor irae,
Date nobis non sentire
Flammas culpae vindices.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339.

379. De sanctis Apostolis.

1a. Felix mater ecclesia
Laudes promat voce pia
Christo, regi coelorum,

1b. Recolens gesta inclita
Gloriosaque merita
Ejus discipulorum.

2a. Aulam cujus cum honore
Mundi transacto labore
Conscenderunt hodie,

2b. Trino Deo et simplici
Ut fruantur mirifici
Revelata facie.

3a. Ecclesiae militantis
In hoc mari laborantis
Hi sunt duces laurei,

3b. Regni coelestis milites
Firmissimique stipites
Orthodoxae fidei.

4a. Mundo novam pandunt viam
Admirandamque sophiam,
Quam probant miraculis,

4b. Agnum Dei incarnatum,
Jam in cruce immolatum
Nostris pro piaculis.

5a. Rabida gens conturbatur
Haec audiens, comminatur
Christum praedicantibus,

5b. Coelum tandem laureati
Conscenderunt illibati
Angelis plaudentibus.

6a. Veneremur ergo, fratres,
In hac die nostros patres
Et Christi discipulos,

6b. Supplicantes ut ad vitam
Suis precibus inclitam
Ducant suos famulos.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. — Mel.: Salve sancta Christi parens.

380. De Evangelistis.

1a. Sacrasanctae majestati
Dei Patris, Dei nati,
Dei Flaminis beati,
Uni Deo gloria

1b. De concordi symphonia,
Quam bis bina mente pia
In coelesti hierarchia
Promunt animalia.

2a. Vox Joannis, vox Matthaei,
Marci, Lucae laudes Dei
Canit praesto semper ei
Laudandi frequentia.

2b. Hi bis binis sub figuris
Evangelicis scripturis
Pandunt cunctis credituris
Fidei mysteria.

3a. Paradisi quadrum flumen,
Quadri pedes mensae, lumen
Orbis quadri, rerum numen
Vestra per suffragia

3b. A peccatis nos emundet,
Fructu vitae nos fecundet,
Ut in nobis sic abundet
Ejus semper gratia.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. ex. — Mel.: Verbum bonum.

381. De uno Martyre.

1a. Martyr iste pro te, Christe,
Crúdeles ac varias

1b. Magis poenas quam terrenas
Dilexit delicias.

2a. Non dolores, non terrores
Sed nec ulla prospera,

2b. Non adversa nec diversa
Tormentorum genera,

3a. Denique nec gladius
Cor illius frangere

3b. Potuerunt sed fecerunt
Invictum existere.

4a. Sprevit mundana
Falsa, vana
Et caduca
Carnis et illecebras;

4b. Bajulans crucem
Veram lucem
Magis sequi
Elegit quam tenebras.

5a. O quanta patientia,
Quae tanta supplicia
Promeruit devincere
Nec novit succumbere.

5b. O Jesu, pie Domine,
Haec in tuo nomine
Superare valuit,
Qui de se nil habuit.

6a. Per te mundum vicit totum
Te solum diligens,
Tibi sponte se devotum
Obtulit sacrificium.

6b. Hujus mundi blandimenta
Respuit arbitrans,
Sibi fore detrimenta,
Coeli sitiens gaudium.

7a. Ave, martyr o praeclare,
Apud Christum deprecare
Pro nostris excessibus,

7b. Collocatus coeli sede
Supplicanter intercede
Pro cunctis fidelibus.

8a. Nos urgemur tot pressuris,
Tantis malis, tantis curis,
Tot calamitatibus.

8b. Sed fieri propitium
Credimus Dei filium
Tuis sacris precibus.

9a. Ergo, martyr pretiose,
Funde preces, filius

9b. Ut virginis gloriosae
Sit nobis propitius.

10a. Atque pater det paterna
Pietate sempiterna
Nobis coeli gaudia.

10b. Quod erramus sic condonet,
Ut cum sanctis nos coronet
In aeterna patria.

11a. In qua martyr
Georgius triumphat
Cum ceteris martyribus,

11b. Festum cujus
Celebramus hodie
Devotis cum laudibus.

12a. Ad ipsius consortium
Nos venire faciat,

12b. Qui electos suos omnes
Vero pane satiat.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. A. — Miss. ms. S. Jacobi Brunens. S. saec. 15. B. — 3a, 2 tangere B. — 7b, 2 suppliciter B. — 11a, 2 Georgius beispielsweise A; ohne Namen B. — Mel.: Congaudentes B.

382. De uno Martyre.

1a. Laudes Deo promere
Corde, ore opere
Cura sit fidelibus,

1b. Festum curent colere,
Martyrem attollere
Voto, voce, precibus.

2a. Manat Dei gratia
Ut aquarum copia,
Quae fluunt de Libano,

2b. Rore sancti spiritus
Sanctum rigat coelitus
In amoris clibano.

3a. Unde sequens Dominum
Spretis minis hominum
Dat cruorem roseum,

3b. Exiens exsilium
Intrat in hoc stadium
Thalamum aethereum.

4a. In quo stolae geminae
Agni tincta sanguine
Purpura induitur,

4b. Deitatis specie
Revelata facie
Cum beatis fruitur.

5a. Is se diligentibus,
In se confidentibus,
Nobis donet veniam,

5b. Qui canendo dulciter
Veneremur jugiter
Martyris victoriam.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. ms. Novesiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12 063. B. — 1a, 1 Laudem Deo B. — Mel.: Veni sancte spiritus.

383. De uno Martyre.

1a. Dulce melos tangens caelos
Resonet ecclesia

1b. Matris cursum, quae est sursum,
Sonet et tripudia.

2a. Cujus status mansionis
Vim transcendit rationis,

2b. Coram throni suavi sono
Cives tonant altithrono.

3a. O quam ardenter sitiunt
Dilectum, quem prospiciunt,

3b. Fruuntur nec fastidunt,
Quo frui magis sitiunt.

4a. Sanctus, cujus hodie
Agitur memoria,
Christum regem gloriae
Jam videt in gloria.

4b. Illic juncta trinitati
Fulget mater Domini.
Plaudant ergo jam renati,
Trino sonent numini.

5a. Sed tu, Jesu, mores cinge,
Mundum, carnem, hostem stringe.

5b. Nec tu nos permitte labi
Nec necessitate abi.

6a. Restitue deperdita
Sanctorum per suffragia.

6b. Adde polorum inclita
Post haec mundi naufragia.

Miss. ms. Bambergense saec. 15. Cod. Gottwicens. 1. A. — Miss. ms. Sanemmeramense saec. 15. Clm. Monacens. 14450. B. — Orat ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacens. 3702. C. — Miss. ms. Monacense 23267. saec. 15. D.

Ich vermute als Mel.: O beata beatorum. — 1b, 1 Patris cursum qui A.; Martyris cursum B. — 2a, 1 Hujus BD. — 3a, 1 Aquam ardenter A. — 4b, 3 Plaudant ergo nunc CD. — 4b, 4 Sonent coeli numini D; Trino sonant in unum A. — 5b, 1 sq. fehlt C. — 6a, 2 Per hujus sancti suffragia A.; per sancti suffragia D. — 6b, 1 Voce polorum A.

384. De uno Martyre.

1a. De lapide pretioso
Coronati capitis

1b. Manat virtus in augmento
Sacri diadematis.

2a. In quo ductum operari
Verus coepit Aaron

2b. Nec cessavit, donec Deus
Cognoscatur in Sion.

3a. Novum mater Salomonis
Diadema construit,

3b. Quod in die nuptiali
Princeps pacis induit.

4a. Admirandum filiabus
Sion decus nobile

4b. Gerit princeps nominatus
In praecinctu gloriae.

5a. Opus istud confirmavit
Electorum numerus,
Quos per fidem matris almae
Castus parit uterus.

5b. Lapis mirae claritatis
Martyr iste creditur,
Cujus caput et corona
Christus intelligitur.

6a. Quam coronam in procinctu
Vir beatus meruit

6b. Seque gratum Deo nimis
Holocaustum praebuit.

7a. Quo congressu trina virtus
Inimicum superat,

7b. Fides pugnat, spes insultat,
Amor est, qui vulnerat.

8a. Hic pro nobis intercedat
Apud patrem luminis,

8b. Ut ipsius inseramur
Claritati numinis.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 1. anni 1490. A. — Miss. ms. S. Blasii saec. 13. Cod. Palat. Vindob. 1909. B. — Mel. offenbar: O beata beatorum.

385. De uno martyre.

1a. Quod post hujus vitae cursum
Inventuri sumus rursum
Vitam satis optimam,

1b. Certis probant argumentis
Qui spe mundi resurgentis
Ultro perdunt animam.

2a. Testes resurrectionis
Certant certi de coronis
Promissis certantibus,

2b. Postponendam arbitrati
Mortem imortalitati
Mille se dant mortibus.

3a. Hic catenae mole pressus
Cuncta perfert indefessus
Ob amorem Domini,

3b. Hic est vecte perforatus,
Hic mordaci praebet latus
Lacerandum pectini.

4a. Hic confractus, hic extensus,
Hic distractus, hic suspensus,
Hic damnatus bestiae;

4b. Multi frixi, plures assi,
Mortis omne genus passi
Vivae fiunt hostiae.

5a. Quibus et nos hostiis
Purgemur a vitiis,
Ne demur supplicio,

5b. Cum in fine temporum
Generalis corporum
Fiet resurrectio.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

386. Plurimorum Martyrum.

1. Laudis odas resonemus
voce satis alta.

2a. Celsithrono proclamantes
dulcia
prosis pneumata.

2b. Mirabilem in praeclara
manenti
sanctorum turba.

3a. Qui de se fatur talia
scriptura
testante divina:
sum veritas
atque vita
nec non semita,

3b. Qua recto cursu gradiens
rutilat
sanctorum caterva,
post obitum
aethercam
adit curiam.

4a. Ergo non tantam
talemque viam
sequi pigeat,

4b. Quos hujus captant
vasti quatuor
orbis climata.

5a. Et conculcata
omni nequitia
propellatur prava
mente luxuria
omni cum nequitia.

5b. Et corda nostra
livione dempta
ipso protegente
fides possideat
spes simul ac caritas.

6a. Haec nobis sanctorum dona
obtineat turba,

6b. Quae vernans virtute pia
florescit ut palma

7a. Ac velut
cedrus egregia
celsa penetrans

7b. Aeterne
mansura possidet
vitae praemia.

8a. Quae nobis concedat
sancta trinitas
et unitas,

8b. Cui sit laus, honor
atque gloria
conspicua

9. Per tempora cuncta.

Trop. ms. Sammaglorianum? saec. 11 et 12. Cod. Parisiens. 13252. A. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17318. B. — Miss. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17319. C. — 1, 2 apta BC. — 3b, 6 adiit ABC. — 5a, 3 parva A. — 5a, 5 statt nequitia vielleicht spurcitia zu lesen. — Nach Str. 7b: Celsithrono gratia ABC ohne Gegenstück und den Zusammenhang unterbrechend.

387. De ss. Martyribus.

1a. Ante thronum majestatis
Laus divinae potestatis
Decantatur hodie,

1b. Stolis albis et coronis
Testes Christi passionis
Testes sunt et gloriae.

2a. Hi sunt regna qui vicerunt
Et ad vitam meruerunt
Ingredi martyrio,

2b. His est mori triumphare,
Vitam morte commutare
Felici commercio.

3a. Hi sunt vere Christi testes,
Qui tollentes suas vestes
Prosternebant in via,

3b. In excelsis laureati,
In terrenis imitati
Christi sunt vestigia.

4a. In cavernis conversati,
Fide stabant roborati
Ducti coram regibus,

4b. Blandimentis atque minis
In melotis et caprinis
Resistebant pellibus.

5a. Igne sunt examinati
Sicut aurum, lapidati
Secti, caesi gladio,

5b. Stabant fortes in agone,
Certi de promissione
Currebant in stadio.

6a. Fontem vivum sitiebant
Degustare, sed bibebant
De torrente in via;

6b. Merces datur copiosa,
Quorum mors est pretiosa
In Dei praesentia.

7a. Christum ducem elegerunt,
Christi crucem sustulerunt
Sed non in angaria;

7b. Margaritas pretiosas
Invenerunt et in rosas
Converterunt lilia.

8a. Christe, sidus salutare,
Qui dedisti triumphare
Martyres ad gloriam,

8b. In procella fluctuantes
Pervenire fac laetantes
In sanctorum patriam.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. S. Pauli ad Laventum membr. 7. A. — Miss. ms. Stubenbergense saec. 14. Cod. Graecens. 281. B. — Miss. ms. S. Floriani XI 394. saec. 14. C. — Miss. ms. saec. $^{13}/_{14}$. bib. Rossianae s. sign. D. — De s. Hippolyto et soc. A.; de s. Sebastiano et aliorum martyrum B.; De ss. Johanne et Paulo C.; de s. Dionysio et soc. D.

388. De Pontifice et Confessore.

1a. Hic oculis ac manibus
In coelum et totis viribus
Suspensus
Terrena cuncta respuit.

1b. Ejus ori nunquam Christus
Abfuit sive justitia,
Vel quidquid
Ad veram vitam pertinet.

2a. Igitur te cuncti
poscimus NN,
Ut qui multa mira
hic ostendisti,

2b. Etiam de coelo
gratiam Christi
Nobis supplicatu
semper infundas.

Miss. ms. Pragense XIV A 3 saec. 14. A. — Miss. ms. Capit. Olomucensis 134 saec. 14. B.

389. De Confessore non Pontifice.

1a. Ave, gemma confessorum,
Micans in alta polorum,
Vitae virtutum et morum
Exemplar egregium;

1b. Tu perfusus coeli rore,
Paradisi flos decore,
Vincis balsamum odore,
Candens plus quam lilium.

2a. Salve, lampas et lucerna,
Luce lucens sempiterna,
Te Hierusalem superna
Recepit cum gaudio;

2b. Tu vir mundus vita, totus
In amoris fonte lotus,
Pius, fervens et devotus
In Dei servitio.

3a. Gaude, quia refulsisti
Velut sol in templo Christi;
Quem quaerebas, invenisti
Supra astra gloriae.

3b. Ora votis caritatis
Fontem omnis bonitatis,
Ut det nobis cum beatis
Sua frui facie.

Miss. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Recklinghusense anni 1475. Clm. Monacens. 10074. B. — Miss. ms. Carmelit. Monacens. saec. 15. Clm. Monacens. 8664. C. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum et suave. — Als de s. Augustino C. — 1a, 3 Augustine tu morum C.

390. De quolibet Doctore.

1a. Pangat nostra concio
in sanctorum gloria

1b. Puro corde, mente pia
laudum Christo carmina.

2a. Qui diversa
pro meritorum qualitate
distribuit munera,

2b. Pravis poenas,
gaudia justis sempiterna
in sede aetherea.

3a. Ubi odor
ineffabilis fraglat,

3b. Laus praeclara
incessanter resultat.

4a. Angelorum
militia, patriarcharum
prophetarumque caterva,

4b. Apostolorum
sacer chorus, laureata
martyrum quoque agmina,

5a. Confessorum
virginumque turma

5b. Nova dulci
voce promunt cantica.

6a. Hac quidem in die
sancti Laudi
venerandi solemnia

6b. Qua carnis exutus
ergastulo
regna petiit supera.

7a. Quo supernorum concivis
factus et conviva,

7b. Jucundatur et exsultat
in laude et gloria.

8a. Nos ergo tanti patris
pio modulo sacra
concelebremus festa

8b. Congratulantes ei
Deo symphonizando
voce mixolydica.

9a. Supplici corde
ejus digna
poscentes magnalia,

9b. Ut sancti meritis
sui nostras
purificet animas

10a. Sanctique spiritus
repleat gratia.

10b. Quo spirituali
edocti cithara,

11a. Diatessaron beata
diapentico
sensu nacta
diapason
citharizemus vera,

11b. Et harmoniae coelestis
cordis fidibus
proportionati
summi regis
conjubilemus aula.

12a. O sancte nostra
Laudi
exaudi precamina

12b. Ac summo patri
repraesenta
per Christum impetrata.

13. Laus in te sit Deo
tibique in eo
gloria.

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisiens. 17317. A. — Miss. ms. S. Laudi Rotomagens. saec. 14. ex. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 5. B. — Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. 12. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 7. add. saec. 14. C. — A bietet die Sequenz als de S. Romano, B als de S. Laudo; C richtig als „de quolibet doctore“; der Name Laudus steht also 6a, 2 und 12a, 2 nur beispielshalber. — 2a, 2 meritorum caritate B. — 9a, 1 Supplici voce A. — 9b, 1 Ut sanctis meritis B.

391. De uno Confessore.

1a. Crebrescente Christi laude,
Consolata Sion, gaude,
Toto nisu plebs applaude
Tamquam matri filia;

1b. Laudes promas non exiles
Nam NN, Christi miles,
Sprevit opes mundi viles
Pro coelesti gloria.

2a. Hostes certans debellavit
Et certamen consummavit,
Pro quo Christus hunc dotavit
Corona perpetua,

2b. Ab aetate primitiva
Mundi vicit incentiva,
Quia caro licet viva
Mundo fuit mortua.

3a. Ergo mundi sorte spreta
Jubilemus in te laeta
Summo regi cum athleta.
Cujus festum colitur;

3b. Ut pro nostra peritura
Vita detur sed futura,
Ubi merces permansura
Meritorum redditur.

Miss. ms. Schyrense anni 1499. Clm. Monacens. 17423. — Mel. offenbar: Verbum bonum.

392. De uno Confessore.

1a. Confessor Christi,
laudare qui meruisti,

1b. Nostra Deo vota
fac, o pater optime, nota.

2a. Ergo tuae laudi
nos instantes pius audi,

2b. Omnibus hoc praesta
recolentibus haec tua festa,

3a. Ad summas laudes
ut pertingant, ubi gaudes,

3b. Rege sub aeterno
cum sanctis jure superno.

Miss. ms. Pragense XIV A 3 saec. 14. A. — Miss. ms. Altovadense 91 saec. 15. B. — Miss. ms. Brixinense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonens. 1782. C. — Miss. ms. S. Petri Salisburgens. a VI 26. saec. 15. D. — In CD de uno Martyre mit dem Anfang (1a, 1): O martyr Christi. — 1b, 2 fac pater A. — Str. 1b und 2a umgestellt D.

393. De uno Confessore.

1. Justus homo velut palma
Florescit cedrus ut alta,

2a. In Domini domo
pollet fructificando,

2b. Multiplices ramos
virtutum germinando.

3a. Ut oliva
pingui radice
semper profert
germen dulce,

3b. Quod infirmis
exstat salubre,
clara quoque
splendet luce.

4a. Jam felici germine
decoratus
malo ab auditu
non timebit

4b. Homo hic mitissimus,
memoriam
cujus in hac die
celebramus.

5a. Nos miseri,
nos mortui,
nos in delictis
et vitiis enutriti

5b. Te poscimus
humiliter,
tua nos sancta
oratio ut emundet.

6a. In regno coeli una cum
beatis
animabus
electorum
Precare, nobis
etiam tribui

* * * * * * * *

6b. Post mortem carnis
requiem animae.
Ut tuo supplicamento
salvemur
nos merita
non habentes.

7. Hoc, pater inclite,
jugiter studeas
orare, supplicamus.

Miss. ms. bibl. Rossianae saec. 13 et 14. — Als „de sancto Liborio": da indes der Inhalt nirgends auf diesen Heiligen Bezug nimmt, wohl de Communi.

394. De uno Confessore.

1a. Quem invisibiliter
Sequitur ecclesia,

1b. Deus visibiliter
Facit mirabilia.

2a. Confessorum jugiter
Vigilat custodia,

2b. Per quos mirabiliter
Operatur gratia.

3a. Lumbos cinxit sanctus iste
Et lucernam tenuit,

3b. Pro te mundum sprevit, Christe,
Et carnem cohibuit.

4a. Hinc angustam viam vitae
Fortiter arripuit

4b. Et in vitiorum lite
Bravium obtinuit.

5a. In te Christus firmat templum
Spiritali quadratura,

5b. In decorum dat exemplum
Invisibili structura.

6a. Tu splendorem
praestas ecclesiis
Miraculis
et signis variis.

6b. Tu corruscas
virtutum radiis,
Tu protegas
nos ab insidiis.

Miss. Strigoniense imp. 1512. A. — Miss. Paulinorum imp. 1537. B.

395. De uno Confessore.

1a. Vigilate, dictum uni,
Servi servant in communi
Tamquam dictum omnibus,

1b. Lumbos suos praecingentes
Et ardentes deferentes
Lucernas in manibus.

2a. Praesto sponsum praestolari,
Licet horae sint ignari,
Quando sponsus redeat,

2b. Licet horae sint incerti,
Certi tamen, quod reverti
More furis debeat.

3a. Quos tormenta non augustant,
Paulativam mortem gustant,
Ut compensent gladium;

3b. Operantur in talentis,
Intraturi venientis
In aeternum gaudium.

4a. Quod meam unam sunt lucrati,
Praesunt viri civitati,
Quique plures pluribus.

4b. Quod paucorum curam gerunt,
Supra multa tandem erunt
Ut digni majoribus.

5a. In cujus consortio
Patris hujus portio
Dignis fulget titulis,

5b. Cujus patrocinio
Gaudeat haec concio
Saeculorum saeculis.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

396. De quolibet Sancto.

1. Rex coelice,
Deus altissime,

2a. Conditor omnium
saeculorum,

2b. Corona (sors), praemium
fidelium,

3a. Vita, pax et gaudium
viventium,

3b. Salus quoque omnium
credentium.

4a. Salvator et redemptor
omnium
in te sperantium,

4b. Immensa spes et summa,
a quo bona
procedunt omnia.

5a. Te supplices
nunc exoramus
et petimus,

5b. Ut deleas
nostra delicta
propitius,

6a. O sancte Domine,
Suscipe, laus
angelorum, laudum
carmina laeta
ac pia

6b. Aure benigna,
Prece, voto
supplici nostra quae
mittit caterva
devota.

7a. Coelum quoque terra
et mare, sol, luna,
sidera poli fulgida

7b. Tuaque creata,
o Deus, omnia
tibi serviunt per saecla.

8a. Et sancta agmina
Te collaudant, adorant,
sancte rex, in hac aula
pretiosa.

8b. Fac tuis gaudia
Et dona per saecula
sancta tabernacula
et aeterna.

9a. Quae permaneant
omni cum pace
sine fine
te annuente,

9b. Tibi placita
atque accepta,
firmissima
cuncta per saecla.

10a. Honor et virtus,
fortitudo,
laus et imperium
decusque maximum

10b. Tibi, Domine,
nunc et semper
et per infinita
saeculorum saecla.

11. Amen omnia
proclamant agmina
voce excelsa.

Trop. ms. Sammaglorianum? saec. 11 et 12. Cod. Parisiens. 13 252. A. — Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10 508. mit Noten B. — 4a, 1 et rector A. — 4b, 2 Plus von einer Silbe. — 6a, 3 laudum fehlt AB.; dafs es zu ergänzen, vgl. Anal. hymn. VII. No. 221 Str. 5a. — 6a, 1 Überschufs von einer Silbe. — 7a, 2 sol et luna B. — 8a, 1 fehlt A. — 10b, 3 et fehlt A.

397. De una Electa.

1a. Jubilemus regi caeli
Concentu devoti meli
Et Jesum mente fideli
Collaudemus jugiter,

1b. Qui de valle miseriae
In patria laetitiae
Ancillam suam hodie
Provexit solemniter.

2a. Haec insignis pietate
Et referta charitate
Ac in omni sanctitate
Hic vixit humiliter.

2b. Haec virtutum operatrix,
Salvatoris impetratrix,
Egenorum consolatrix,
Quos fovebat dulciter.

3a. Signis miris corruscavit,
Aegros varios sanavit,
Claudis gressum reparavit,
Caecis visum pariter.

3b. Sed jam sanctis sociata,
Manu Christi consecrata
Visione Deo grata
Laetatur feliciter.

4. Nunc, o mater pietatis,
Nos juva, ut a peccatis
Liberati cum beatis
Regnemus perenniter.

Grad. ms. Strahoviense H I 2 anni 1611. — Mel.: Verbum bonum; der Schlufschoral dreimal wiederholt.

398. De Patronis ecclesiae.

1. Ave, serena,
laude plena,
coelorum regia corruscans,
luce solem fuscans.

2a. Euge dulcis coetus,
pace quietus,
quem nil triste tangit,
nil angit,
jugem jubilum
nil nubilum
premit,
nil turbidum fremit.

2b. Virgo Sion, curre,
viles saburrae
mundi non obsistant,
quae distant
a divitiis,
deliciis
poli,
pigrescere noli.

3a. Te jam currentem
Christus et ad se trahentem
exspectat cum favore,
quam sibi despondit
subarrhans cruore.

3b. Te ligno crucis
ad se traxit, ut caducis
non intendas, sed tendas
ad sponsi secretum
cubile quietum.

4a. Tu agnum Dei
nisu fidei, spei,
caritatisque virtute
sectari
studeas et ardentius
amplexari.

4b. Tuque furentem
mundum et retrahentem
despiciens et spernens
conculca
et puppe crucis saeculi
fluctus sulca.

5a. Hinc gentium collecta finibus,
ut coelorum refecta sinibus
a turbinibus
mundi quiescas
et inter illos
coexsultans hilarescas,
quos vindemia
defaecata regalis
cellae jam debriant gremia.

5b. Hic manna, quod oblectat sacie,
irradiatos Dei facie,
plena gratiae,
unus et trinus
quos unit in se,
Jerusalem sacer caminus
post igniculum
Sion, hoc nos ignito,
Jesu, post mundi curriculum.

6a. Fac fonte lotos
Baptismi totos
tibi tam devotos,
ut horrentes
haec inquinamenta
carnis caenolenta,
te cervi more
fontem sitiant,
ut appetant
cum fervore.

6b. Fac ignis puri
cor mundaturi
sic nos flammis uri,
ut siccentur
luxus scaturigo,
criminum rubigo,
purgata prorsus
non in pectora,
non in corpora
figat morsus.

7a. Audi nos
tui martyris Emmerami
precatu.

7b. Salva nos
Dionysi ac Wolfgangi
rogatu.

8a. Da fontem quinque rivulis
crucem fundentem supplices
mundare famulos,

8b. Quo haustu dulcis gratiae
gloriae tuae perfrui
valeant facie.

9. Christianismi nomen
et omen
fac unire,
ut in die irae
cum ovibus nos dextris
facias, auctor,
at te transire.

Grad. ms. Mellicense 1056. saec. 14. in. A. — Miss. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14 623. B. — Miss. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14 450. C. — Miss. ms. S. Emmerami anni 1406. Clm. Monacens. 14 045. D. — 2a, 2 sq. tangit nil fehlen A. — 2b, 2 saburbae B. — 4a, 2 nisu fehlt A. — 5b, 4 trinus et unus quos B.; unus et quod unit A. — 6a, 8 sitient A. — 6b, 4 siccetur B. — 7a, 3 precibus A. — 9, 5 cum omnibus nos A. — Mel.: Ave praeclara.

399. De quolibet festo.

1a. Laude clara canticorum
Christum, regem angelorum,
Laudent Sion filiae,

1b. Qui de matre incarnari
Venit, ut sic reformari
Possit status gratiae.

2a. In praesepi reclinatur
Et a magis adoratur,
Post haec templo sistitur,

2b. Fame, siti cruciatur,
Reprobatur, perforatur.
Vita morte clauditur.

3a. Samson portae valvas pandit
Et asportans montem scandit
Mira cum potentia,

3b. Sic te tribu Juda fortis
Leo portis fractis mortis
Die surgit tertia.

4a. Victor turmis cum duabus
Angelis et animabus
Redit ad palatia,

4b. Nova festa, mira gesta,
Regis nutum et obtutum
Trina tremit regia.

5a. O quam felix civitas,
Quam jucunda curia,
In qua sponsi claritas,
Datur omnis gratia.

5b. Sanctus, cujus hodie
Agitur solemnitas,
Clara regem facie
Jam videt in gloria.

6a. Illic regina coelorum
Super choros angelorum
Fulget in rosario,

6b. Rosa rubens et flos florum
Cum exercitu sanctorum
Nos commendet filio;

7. Ut in fine sine fine
Det nos frui cum beatis
Suae vultu claritatis.

Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Pragens. I E 14. A. — Grad. ms. Constantiense saec. 14. Cod. bibl. publ. 1405. B. — 1a, 2 Ipsum regem B. — 4b, 3 tremit regio. A. — 7, 3 vultu majestatis B.

400. De Omnibus Sanctis.

1a. Nobis quos iniquitas
Gravat et calamitas
Turbat, parce, trinitas
O beata.

1b. Subveni pauperibus,
Quae in mulieribus
Benedicta omnibus
Es praelata.

2a. Angeli succurrite,
Vitam nostram regite
Nos ad regnum ducite
Claritatis.

2b. Baptista cum patribus,
Patriarchis, vatibus,
Nos juvare precibus
Studeatis.

3a. Principes ecclesiae,
Judicem justitiae,
Dum hora est gratiae,
Mitigate.

3b. Evangelistae Domini
Sanctique discipuli,
Jesum nobis seduli
Complacate.

4a. Torti poenis variis
Martyres, donariis
Non flexi nec gladiis,
Nos juvate.

4b. O sublimes praesules,
Animarum consules,
Hic degentes exsules
Defensate.

5a. Agnelli pedissequae,
Virgines sanctissimae,
Sponso vestro intime
Supplicate.

5b. Ut vestrum suffragium
Sanctorumque omnium
Nobis vitae gaudium
Det optatae.

Clm. Monacens. (ol. S. Emmerami) 14 926. saec. 15. Mit Mel.

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Absit nobis gloriari	163
Ad concentus animemur	153
Adest dies celebris	21
Adest dies celebris	33
Adest dies celebris	135
Adest dies jubilaeus	40
Adest dies recolenda	183
Adest dies veneranda	91
Adest dies veneranda	226
Adest namque Pascha	30
Adest nobis dies laeta	238
Adest nunc gloriosa	14
Ad honorem invictorum	84
Ad honorem salvatoris	162
Ad honorem summi Dei	233
Ad honorem Christe tuum	106
Ad Joseph mittitur	194
Ad laudem virginis	64
Ad laudem virginis	73
Ad laudes salvatoris	171
Ad mirandum et laudandum	121
Adoremus Deum fortem	133
Ad triumphalia	173
Affluens deliciis	93
Agnum sponsum virginum	261
Alle nostra pangat	240
Almam paribus concinite	163
Almi gratia adsit	221
Angelorum Dominum	219
Angelorum ordinatrix	58
Anna pia mater ave	99
Ante thronum majestatis	284
Arva splendent coelestia	30
Athletam Christi juvenilem	268
Athleta Sebastianus	246
Audi Maria nos	50
Auge fidem plebs devota	125
Augustini confessoris	110
Augustini magni patris	308
Auster veni flatu leni	173
Ave Anna laude magna	101
Ave Christi sudarium	23
Ave crux alma	25
Ave Dei genitrix	62
Ave gemma confessorum	285
Ave Jesu verbum patris	101
Ave lucis fundamentum	51
Ave lux insignis	261
Ave maris stella	72
Ave martyr gloriose	148
Ave mater inclita	100
Ave regis binae legis	79
Ave serena laude plena	290
Ave sidus venerandum	233
Ave speciosissima	69
Ave stella gloriosa	165
Ave virgo fons virtutum	113
Benedicti merita	122
Benedicto psallat laetus	123
Boni dator perfectius	211
Candida virginitas	35
Caput draconis ultimum	161
Catervatim augmentatur	86
Celsa poli sidera	138
Chori nostri jubilent	97
Christi baptista	181
Christi laudem praedicemus	205
Christi mira vis amoris	118
Christo canamus diei	266
Christo laudes dans applaude	206
Christo laus qui Victorino	263
Christus Jacobum vocavit	174
Clarum sidus fulget mundo	208
Coeli cives in colono	159
Coeli portae cum apertae	222
Coelum gaude Erasmi	149
Coelum verbo confirmatum	175
Collaetetur fidelis concio	124
Collaudemus Jesum Christum	220
Collaudemus inclita	202
Collaudemus salvatorem	111
Concinamus in hac die	177
Concinat plebs devota	167
Concordi jubilo	244
Congaudentes jubilemus	136
Confessor Christi	286
Consolare munde tristis	117
Consolatrix miserorum	75
Consors sono	109
Cor ad laudem redemptoris	220
Cor angustum dilatemus	279
Corda sursum eleventur	111
Corde laeto jubilemus	94
Corde puro mente munda	152

	Seite
Corde voce pulsa caelos	171
Creatoris laude pie	278
Crebrescente Christi laude	286
Cum coelesti hierarchia	215
Cum patribus et prophetis	109
De lapide pretioso	282
Delectemur ad festiva	96
Deo regi confessorum	109
De superna monarchia	255
Diadema laude plena	22
Diem agat celebrem	247
Diem sacram celebremus	47
Dies haec nos admonet	177
Dies ista quae sacrata	186
Dies ista veneranda	131
Dies nobis laetabundus	17
Divinum mysterium	38
Doxa per omnia	156
Dulce melos tangens caelos	281
Dum coelestis figulus	129
Ecce patris et doctoris	107
Ecce solemnis diei	47
Eja modo jubilemus	22
Eja nunc Alexandrinam	198
Elisabeth Zachariae	179
Enti simplicissimo	19
Ex affectu cordis mundi	225
Exortum lux lumen	189
Exsul surge jam est hora	76
Exsulta coelum	181
Exsultemus gaudeamus	90
Exsultemus pari voto	253
Extollamus in hac die	199
Felix mater ecclesia	279
Fervore devotionis	184
Festa mente jucundemur	269
Festa patris Willibrordi	270
Fides monstret regnum Dei	223
Flore Sion decoratur	224
Flos de spina procreatur	77
Fontem dulcem sicut cervus	260
Fulgens perenni	180
Fulget dies hodierna	212
Fulget mundo lux solennis	227
Gaudeamus omnes	46
Gaudeat fidelium	217
Gaude coeli curia	261
Gaude coelum terra plaude	128
Gaude concio fidelis	102
Gaude cunctis veneranda	104
Gaude eja unica	54
Gaude felix Brixina	130
Gaude felix India	254
Gaude felix Magdalena	216
Gaude felix sponsa Christi	106
Gaude Martha et laetare	220
Gaude mater ecclesia	255
Gaude mater ecclesia	256
Gaudendum nobis suadent	167
Gaude nova Hierusalem	116
Gaude pater patriae	190
Gaude Sion filia	262
Gaude Sion mater ecclesia	35
Gaudet ecclesia	115
Gaude turba fidelium	52
Gaude turma triumphalis	140
Gaude virgo gloriosa	49
Gaude virgo gratiosa	54
Gaude virgo mater	39
Gaude virgo nobilis	114
Gaude virgo stella maris	51
Gloriare Graecia	88
Gloria tibi trinitas	11
Gloriose martyr Dei	148
Gratulare plebs devota	139
Gratulare sponsa Christi	232
Gratulemur hoc in die	85
Gratuletur noster chorus	242
Gratuletur totus mundus	94
Hac praeclara die festi	232
Haec Bernhardi patris festa	127
Harmonia dulci pangat	92
Hic oculis ac manibus	284
Hierarchia coelica	113
Hierusalem superna	169
Hodierna recolamus	107
Jesu Christe rex superne	249
Jesu Christi matri	54
Illustrata luce prima	190
In agone spe coronae	158
In coelesti hierarchia	207
In coelesti hierarchia	277
In coeli viridario	201
In conspectu angelorum	227
Infans verbum incarnatum	15
In honorem summi regis	169
Innoventur hac in die	176
Innovetur hac in die	45
In sanctorum jugi laude	168
In superna regione	227
Jubar miri luminis	131
Jubilando clerus totus	245
Jubilemus aeterno regi	137
Jubilemus in hac die	178
Jubilemus in honore	99
Jubilemus pia mente	41

Seite			Seite
Jubilemus regi caeli	289	Nobis dies gloriosa	230
Jucundare plebs fidelis	193	Nobis quos iniquitas	292
Jucundare plebs fidelis	202	Nomen jure sublimatum	20
Justus homo velut palma . . .	287	Novae signo claritatis	133
Katharinae virginis	196	Novum sidus orientis	160
Laetabunda exsultet	146	Novum vas est Elisaeo	48
Laetabundus Andream	98	Nunc exsultet plebs fidelis . . .	147
Laetabundus decantet	236	Nunc nobis succurre	165
Laetabundus exsultans	197	O augusta generosa	79
Laetabundus laudet	230	O beata beatorum	78
Laetabundus Leonhardo	209	O beata beatorum	129
Laetabundus psallat mundus . .	252	O beata beatorum	264
Laeta festa celebret	203	O beata orbe toto	21
Laeta mundus exsultans	249	O beata veneranda	12
Laeta mundus sit jucundus . . .	257	O crux ave frutex gratus	28
Laetetur ecclesia	83	O Elisabeth regina	145
Laudamus te rex	28	O felix virgo Barbara	112
Laude clara canticorum	291	O Francisce pater pie	161
Laudes Christo canamus	237	O Jerusalem superna.	267
Laudes Christo decantemus . . .	218	Omnes Christo jubilemus	152
Laudes Deo debitas	197	Omnes gentes plaudite	13
Laudes Deo promere.	281	Omnes gentes plaudite	234
Laudes dicat omnis aetas. . . .	87	Omnia melliflua	154
Laudes regi sempiterno	119	Omni laude sit sonorus	272
Laudis odas resonemus.	283	Omnipotens Deus	213
Laudum Christo praeconia . . .	217	Omnis ager scripturarum	63
Laus Deo et gloria	170	Omnis coeli hierarchia	61
Laus jucunda Christo detur . .	243	Omnis mundus exsultet	103
Laus tibi Christe sponso	18	Omnis odas nunc melodas . . .	252
Luce lucens in superna	103	Omnis terra psallat Deo	166
Lucia solemnio	211	O praeclara Adalberti	87
Lucis novae claritas	135	O quam gratus et insignis . . .	149
Lux est orta populo	210	Orbis totus gratuletur	161
Lux illuxit festive	60	O rex summe	187
Lux praeclara lux perennis . . .	207	Orta stirpe nobili	214
Magna laudum hymnorumque. .	121	O si mihi rhethorica	67
Magnificate Dominum	26	Os lingua mens sensus vigor . .	239
Margarethae canamus	215	O tempus temporum	50
Martyr iste pro te Christe . . .	280	Palmes fructum fert in vite . .	258
Martyris eximii	229	Pangat nostra concio	285
Mater misericordiae	55	Pange festa gaudiosa.	116
Maturinus vir maturus.	223	Paracliti sancti	33
Mellis stilla maris stella	71	Paraclitus increatus	11
Militans in gratia	267	Paranymphos coeli regis	278
Mirum fit oraculum	65	Pater proles sacrum flamen . . .	13
Mundamini mundamini	70	Patri nostro jucundemur	208
Mundi omnis gloria	142	Paulo tuo gaude Roma.	259
Mundi renovatio.	35	Petri vita laudabilis	238
Mundi renovatio.	53	Plaudant chori monachorum . .	241
Mundi restauratio	75	Plaudat plebs et cleri ordo . . .	264
Mundum replet gaudio	200	Plaude Cantuaria	257
Nato patris sine matre.	195	Plaude coeli hierarchia	24
Nobile praeconium.	245	Plausu laeto jubilemus	150

	Seite
Plebs devota psallite	146
Pollet alma haec dies	241
Potens rector verax Deus	132
Pretiosa mors sanctorum	140
Pro matre Christi Maria	57
Promat verba cantionum	139
Protomartyr Christi mitis	253
Psallat chorus voce clara	188
Psallat clerus in laudem	118
Psallat cum tripudio	151
Psallat laude competenti	88
Psallat omnis regio	83
Psallat poli hierarchia	250
Psallat voce votis amet	98
Psalle turba canora	16
Quae est ista quae ascendit	58
Quem invisibiliter	287
Qui coelorum contines	40
Quod post hujus vitae cursum	282
Recolamus Georgii	164
Regi regum omniscio	17
Rex coelice Deus	288
Rex per portum caritatis	134
Rosam jucunditatis	204
Sacra mundo fulget dies	56
Sacra nunc Margarethae	214
Sacrosanctae majestati	280
Sacrosanctum corpus ave	36
Salutata coelitus	52
Salvatori jubiletur	184
Salvatoris manus fortis	236
Salve corpus salvatoris	37
Salve doctor veritatis	126
Salve lignum sanctae crucis	26
Salve lignum crux vitale	25
Salve martyr gloriose	157
Salve mater coeli porta	75
Salve nobilis puerpera	63
Salve pater salve pie	123
Salve pater venerande	105
Salve regina gloriae	74
Salve sancta Dei parens	60
Salve sanctarum sanctissima	69
Salve sidus puritatis	260
Salve splendor firmamenti	150
Salve stella mundi lumen	70
Salve virgo generosa	143
Salve virgo mater Dei	72
Sanctae Annae sonorus	102
Sancte Nicolae	231
Sancti martyris Blasii	130
Sancti praesulis	172
Sancto patri et pastori	144
Sanctum Christi nutritorem	192
Sator rerum sub dierum	235
Schola plaudat virginalis	204
Scriba doctus verbi Dei	188
Sempiterno devote	32
Signum Christi triumphale	26
Sit jucundus totus mundus	251
Solemnis erit dies	143
Solemnizet plebs fidelis	276
Sonent hymni Deo digni	90
Splendet lux clara	191
Sponsa Christi o Pusinna	243
Stephani victoria	253
Stirps regalis proles regis	147
Stola prima praemiati	309
Summae trinitatis	275
Superae harmoniae	141
Sursum corda sublevemus	32
Tonitrui vox in rota	175
Tuum mundo toti Bavo	120
Veneremur hodie	23
Veneremur hodie	29
Veni pater Antoni	105
Veni pie consolator	34
Veni sancte spiritus	199
Veni sanctum neuma veni	34
Veni sapientia	20
Verbum aeternaliter	14
Verbum bonum personare	225
Verbum patris incarnatum	38
Vergente mundi vespere	61
Via vita veritas	248
Victimae paschalis crucem	27
Victori Deo laudum	247
Vigilate dictum uni	288
Virginali thalamo	29
Virgo mater ecclesia	185
Virgo mater gratulare	76
Vitae nostrae praevia	159
Vitis verae palmes verus	191
Voce praecelsa Christi	95

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

